





20

AD AMPLISS. ET PRVDEN-  
tissimum inclytæ reipub. Fribergen-  
fis in Misnia Senatum


# ORATIO

M. MICHAELIS HEMPELI  
Fribergensis

DE SCHOLIS CHRISTIANIS:

*Additis tribus Carminib. quorum primum leges Scho-  
lasticas continet: alterum est ad Illustriss. Electorem  
Sax. &c. DOMINVM CHRISTIANVM, &c. Dominum  
nostrum clementiss: Gratiarum actio: tertium ad Cla-  
riss. V. Abelum Strasburgum Fribergensem, I. V. D.  
Syndicum Hallensem Gratulatio, in qua brevis preci-  
puor. ab Adamo vsq; ad Martinum Lutherum,  
& Philippum Melanchthonem Ecclesie  
Doctorum series recitatur.*

Die XVI. Februarij M. D. LXXXVII.



*Lipsiæ, Johannes Beyer imprimebat, Anno*

---

M. D. LXXXVII.

ZZ.

AD AMPLE ET  
cetera unum  
in fine

# ORATIO

M. MICHAELIS HERBII

Prologus

De Choribus

Abbas in die  
littera con  
Sax. C. D.  
sophum elem  
reg. V. e. s  
Synodus  
prior ab  
E. Philipp  
De

Die XVII Septembris

1593

M. D. LXXIII

...



Σὺν Θεῷ Ἐ' *auspice Christo.*

ORATIO DE  
SCHOLIS.



Vòd in hac pulcherrima Reueren-  
di Ministerij Ecclesiastici, inclyti Senatus, claris-  
simorum, ac ornatissimorum virorum corona,  
& in sanctissima totius huius Scholæ frequen-  
tia, dicendi partes mihi sumam, neminem omnino fore con-  
fido, cui id mirum videatur, aut qui in malam illud partem  
accipiat, si miserrimum ac tristissimum præsentem statum  
Scholæ nostræ consideret, officijq; mei admodum grauis, &  
laboriosi rationem fideliter secum animo perpendat: Imò  
potius vnunquenq; (cùm ipsa messis sat quidem bonitate  
diuina copiosa, sed operarij pauci sint, atq; prohi dolor, pau-  
ciores indies fiant) Dominum messis mecum ardentè ro-  
gaturum spero, vt operarios in suam messem extrudat fide-  
les, & vsq; ad huius mundi consumationem eosdem, etiam a-  
pud nos, paternè conseruet, ac tueatur. Cùm autem tristissi-  
ma Scholæ nostræ præsens conditio requirat, & summa ne-  
cessitas flagitet, officiumq; meum, vt dicatur aliquid, postu-  
let: Sanctum, omnipotentem, æternum, ac verum DE-  
VM, qui se in medio suorum habitaturum per Mosen ser-  
uum, & alios suos Prophetas sanctè est pollicitus, iam ex to-  
to pectore inuoco, vt DEVS cœlestis pater, tanquam ge-  
neralis Christianarum Scholarum inspector: & ipse DEI  
patris, ac Mariæ virginis filius, Dominus Saluator & Re-  
demptor noster IESVS CHRISTVS, earundem su-  
premus Rector: cum Spiritu sancto, harum sanctissimorum  
officinarum Antistite fidelissimo, in medio nostri iam quoq;

O R A T I O

adefse, nobiscum manere, cor, manum, calamumq; & linguam meam ipse regere, & hos nostros afflictos cætus vigilantissimis custodibus, & turmis Angelicis vndiq; circumdare, & contra omnium diabolorum furores, vsq; ad huius mundi finem, fortiter custodire, ac defendere, atq; etiam apud nos semen sibi sanctum paternè conseruare velit. Huic meæ ardenti orationi, & ex intimis cordis mei scrinijs deprompto voto, vt euentus respondeat faxit sacrosancta & indiuidua Trinitas.

Quia verò in sæuissimo furore, & vesana ante diem Domini rabie diaboli, ac summa huius mundi ingratitude eò res redijt, & vix vllum vitæ genus miserius sit, & contemptius, quàm nostrum, qui cum valetudinis nostræ iactura in paupertate non exigua, in puluere scholastico versamur, ac Iuuentuti Christianæ, plantulis nimirum regni cælestis, & reipublicæ seminarijs, nostram fideliter nauamus operam: valde necessarium & nobis ipsis, & scholasticis, addo etiam posteris, esse duco, vt de Scholis Christianis aliquid in medium proferens earum nomina nonnulla explicem, vnà indicans DEO placere Scholas, & cum omnibus easdem suis requisitis in verbo diuino fundatas, toti generi humano imprimis vtilis, ac necessarias esse, ac Ecclesijs vsq; ad nostrum tempus semper coniunctas fuisse: nostræ quoq; Scholæ statum præsentem addidero, & quid hic actus hodiernus, & conuentus sibi velit indicauero. Quibus in rebus si paululum ero prolixior viri Reuerendi, patres conscripti prudentissimi, vosq; clarissimi, atq; ornatissimi Domini, & amici mei charissimi, vt pro vestra beneuolentia, & candore me benignè audiatis, etiam atq; etiam summopere rogo.

Vocabulum SCHOLA ocium liberale significat, quod videlicet hominibus ingenuis ad liberalium artium studia,

DE SCHOLIS.

studia, ad sacrarum linguarum cognitionem, ad contem-  
 plationem rerum in natura, & ad meditationē verbi diuini  
 concedendum est. Sumptum videtur esse hoc nomen ex  
 capite tricesimo nono Syracidæ translationis Germanicæ,  
 in quo Spiritus Sanctus studia nostra laudibus extollens v-  
 nā indicat eos, qui literis operam suam nauare, ac in viros  
 eruditos euadere debent, huic vni & soli rei vacare oportere.  
 Admonentur hoc nomine Magistratus politici, vt do-  
 centibus ac discantibus liberalibus stipendijs prospiciant,  
 exemplo Pharaonis pñ Regis Ægypti, cuius animus erga  
 senem Doctorem Iacobum Patriarcham, & totam domum  
 in Ægyptum ex Canaan abiturum, planè paternus, et in sub-  
 leuanda paupertate est promptissimus: Hoc liberalitatis of-  
 ficio non pastorum pater, sed hospes fit Angelorum, CHRIS-  
 TI, ipsiusq; DEI omnipotentis: amplectitur veram de-  
 vero DEO doctrinam, & fit nutritor veræ Ecclesiæ, ab illo  
 tempore in hoc pulcherrimo Ægypti regno semper floruisse  
 Scholas historia Mosis testis est. Nebucadnezar rex As-  
 syriorum, cognomento Magnus, dum Scholam imperatori-  
 am aperuit, in eaq; ad tria adolescentū millia abundè de sui  
 ærarij suæq; mensæ sumptibus aluit, ac Melzari Præceptori  
 singulariter comendauit, præmiaq; ac stipendia tribuit Do-  
 ctoribus, tandem ab alumno suo Daniele veræ Religionis  
 instruitur noticia, verum DEVM agnoscit, & fit mem-  
 brum Ecclesiæ. De Alexandro Magno memoriæ proditum  
 est, aluisse ipsum in Perside triginta adolescentum millia, cu-  
 rasseq; in artibus, eosdem liberalibus, in lingua græca, & alijs  
 honestis corporis, & animi exercitijs institui, ideoq; doctos  
 ipsis, ac fideles Præceptores addidisse, & regia sustinuisse  
 munificentia, quod pietatis opus non minimum fuit, quòd  
 tantos ab Omnipotente DEO successus habuerit, vt intra

O R A T I O

duodecim annorum spatium totum terrarum orbem peragrare, suoque imperio subiicere potuerit. Huius imitatione Romanus Imperator Traianus quinque optimae spei adolescentum millia fidelibus Magistris commendauit, aluitque: bonis benefecit, doctos magnificet, & Bibliothecam nobilissimam instituit, quibus beneficijs atque officijs tantum existimationis & fauoris sibi comparauit, ut omnibus esset gratus. Ideoque in electionibus sequentium Imperatorum in acclamationum gratulationibus aliquoties usurpatum est;  
**AUGUSTO FELICIOR, sicut TRAIANO PROBIOR.** Horum exemplo non solum Cyrum, Constantinum, Theodosium, Carolum Magnum, Lotharium Saxonem, atque alios reges, ac Principes Scholas cum Ecclesijs fouisse, aluisse, & promouisse, testantur Historiae: verum etiam DEI immensa bonitate, & Spiritus sancti gratia haec liberalitas, in Illustribus Principibus Germanicis fuit conspicua, quemadmodum eadem in HEINRICO Duce Saxoniae, Illustrissimorum duorum Electorum Mauricij, & Augusti Patre Illustri a viro DEI Doctore Luthero in commentario super Genesin praedicatur. Quanta postea beneficentia Scholas tres Illustris, eius Filius MAURICIVS, & Academiam Lipsicam ornauerit: quam patria deinde cura, & munificentia vere regia Scholas dictas tres conseruauerit, atque Academiae, Lipsensi, & VVittenbergensi Stipendijs, amplisque sumptibus prospexerit, aedificijsque easdem magnificis ornauerit, alter eiusdem Illustrissimus Filius AUGUSTVS illustris & sanctae memoriae, ac patriae olim pater, vndique notum est: testes etiam sunt viri in tota Europa, qui ex his Scholis atque Academiae, tanquam ex equo Troiano prodierunt, in omni doctrinarum genere clarissimi, ac doctissimi, daturi Principibus illis Christianis praeclearum in die nouissimo tantae pietatis, atque



D E S C H O L I S

atq; munificentiae coram throno Maiestatis diuinae, atq; omnibus sanctis testimonium. Insuper quod in hac vita etiam ab ipso DEO hoc summo, & omnium maximo sunt affecti beneficio, quod verbum DEI in his regionibus pure & Sincerè docetur, & Sacramenta iuxta institutionem Domini administrantur, & totius Christianae religionis capita, sine corruptelis retinentur, fontesq; limpidissimi Israëlis puri conseruantur. vt verè illud Psalmi vsurpare possimus: Non fecit taliter omni nationi. Aui, patru, & dilectissimi parentis vestigijs strenuè insistit Illustrissimus Princeps, ac Dominus, Dominus CHRISTIANVS Dux Saxoniae & Elector, &c. Dominus noster clementissimus, qui his & alijs praecipuis Ecclesiae nutritoribus merito annumerari potest. Et sicut in populo DEI viuente adhuc Dauide, viro iuxta cor DEI, regeq; omnium potentissimo, ac Salomone filio Sapientissimo, nihil pulchrius fuit: ita haec nostra aetas nihil vidit charius AVGVSTO patre, & CHRISTIANO filio. faxit omnipotens, vt felicitate Dauidi par sit: sapientia similis Salomoni: fortitudine superet Iosophatum: pietate vincat Ezechiam: annosq; attingat Mathusala. Parentes verò auari ac sordidi, locupletes ac diuites, qui nummos timori DEI, pecuniam pietati, thesauros eruditioni liberali, caduca perpetuis, & coelestibus anteponunt mortalia, hic animo perpendant, quam grande nefas admittant, cum ad liberalium artium studia idoneis liberis, rebus non prospiciant necessarijs, & praenimia auaricia in culpa sint, vt studia profus deserant: atq; ita cum Ecclesijs Scholas & Respublicas vasis vtilibus, & salutaribus priuent: cum pñ, docti ac boni liberi, praestantissimi sint à DEO parentibus thesauri concessi, quorum vsus non in hac tantum vita est maximus, sed ante thronum Maiestatis diuinae in omnem aeternitatem videbunt, & habebunt illos verissimos thesauros cum summa laticia & gaudio.

Voca

O R A T I O

Vocabulum **LVDVS** indicat debere Scholas esse non carnificinam, sed humanitatis officinam: non ergastulum, sed artium liberalium, sacrarum linguarum, ac virtutum exercitium, & **DEO** sacrum gymnasium. In eo enim ætas tenera, vt vascula fragilima, & templa **DEI** excelsi cum honore, & reuerentia tractatur, paternè monetur, pietate & honestate imbuitur, blandis verbis potius, quàm verberibus sui admonetur officij: vt ab improbitate abstineat comminationibus diuinis, & horrendis improborum exemplis deterretur. Si verò castigatione opus est, adhibetur & illa iuxta illud Psalmi: Percutiat me iustus in Misericordia, & increpet me, oleum preciosum id erit mihi, non franget capum meum. **DEO** dicatum agmen furioso impetu turbare, **DEI** opera, ad ipsius imaginem formata, & preciso **IESV CHRISTI** sanguine redempta, negligere aut corrumpere, tam magnum peccatum est, quod oratione nemo potest exprimere, nullaue cogitatione assequi.

Ludunt homines graues, & summo honoris fastigio conspicui, curis obruti, multisq; molestijs grauati ideò, vt & seipfos, & alios delectent. Sumptum est hoc nomen ex octauo capite Prouerbiorum, vbi Sapientia inquit: Cum eo, **DEO** nimirum æterno, & omnipotente, eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, & ludens per orbem terrarum. Et addit valde memorabile dictum: **DELICIAE MEAE, ESSE CVM FILIIS HOMINVM**. Ludit æternus **DEI** Filius coram æterno Patre mirandis creationis operibus, ipsemet delectatur, atq; vnà delectat patrem inenarrabili sua humilitate, & ineffabili obedientia, qua supplex fit æterno patri in redimendo genere humano, & in colligenda Ecclesia: cum gaudio inspicit Scholas Christianas tanquam hortulos

D E S C H O L I S.

tulos cœlestes, in quibus excitantur, producuntur, & educantur plantulæ tenerrimæ, celebraturæ ipsum in omnem æternitatem, his sese oblectat, cum his est quotidie, ex ijsq; capit delicias. O ingens nostrarum Scholarum gloria, & solatium. Ludit etiam cum iisdem, cum ipsis crucem immittit, quando se abscondit, & sæpe stat, vt blandissimus pater, post fores, iuxta illud: verè tu es DEVS, absconditus, DEVS Israël Saluator. Ludit cum iisdem ad suum pectus in angustijs, & ærumnis adeò premendo, vt ex oculis erumpant lachrymæ, vt gemitus nubes penetrent. A maxilla enim lachrymæ, & e cordis penetralibus suspiria ascendunt vsq; in cœlum, & Dominus exauditor delectatur in illis. Cùm igitur desperata videtur esse omnia, & plantulæ illæ per tribulationes probè amputatæ, atq; humiliatæ, rursus apparet ipsis blandissimam ostendens, atq; paternam faciem, de stercore erripiens eas collocat cum Principibus, & quidem cum Principibus populi sui, sicut vsu edoctus cum gaudio canit Psalmographus: Mirificat enim Dominus sanctum suum, & mirabilia opera tua ô Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Sic mirificauit in Ægypto Iosephum, sic Samuelem apud impios Heli Sacerdotis filios, sic in Persia Danielelem cum suis socijs: Sic mirificat adhuc atq; exercet multos pios adolescentes, vt auxilium postea eò sit gloriosius. Quemadmodum enim Sol in cœlo, quò nobis est propior, eò remotior esse videtur: Ita & sol iusticiæ, Dominus noster IESVS CHRISTVS, quando nobiscum ludit, & nobis prope est, abesse à nobis longius, aut nos negligere putatur. Exerceant ergo adolescentes studiosi in timore DEI, & pietate patientiam, & faciant vocationis suæ munera omni, qua possunt, sedulitate fideliter, & sperent in Dominum. Is enim non dabit in æternum fluctuationem iusto, & cùm sit ille

B vnus,

O R A T I O

vnus, & solus adiutor in oportunitate, omnem spem & fiducia in ipsum iaciant, veniens enim veniet, & non tardabit, & faciet, vt meminisse dulce sit, quod fuit durum pati.

Vocantur Scholæ quoq; Gymnasia. Fuerunt olim Gymnasia loca, in quibus sub peritis & fidelibus exercitatorum Magistris quotidiana corporis exercitia habuerunt athletæ, & viri fortes, vt ad patriæ defensionem necessitatis tempore eò essent alacriores, & paratiores, indeq; ab exercitij fine, ab honorario nimirum, seu præmio nomen sortiti, patriæ strenuam nauarunt operam. In Scholis Christianis sanctissima Spiritus sancti fiunt animi crebra exercitia. Etenim mentes teneræ linguarum noticia sedulo informantur, artibus liberalibus diligenter excoluntur, moribus ingenuis, omni cura imbuuntur, optimorum autorum cognitione instruuntur, & quod omnium est præcipuum, capita Christianæ religionis in viri DEI & Prophetæ Germaniæ D. Lutheri Catechismo compræhensa, quasi cum lacte materno imbibunt: eaq; pro captu ætatis ex aureo illo nostri, & totius Europæ communis Præceptoris, sanctissimæ memoriæ D. Philippi Melanchtonis Examinis Theologici libello plenius percipiunt, memoriæq; infigunt, vt non solum patriæ aliquando, sed etiam Scholis, & Ecclesiis vsui esse possint, accepturi ad præmia, in hac vita qualiacunq; sepositam in vita æterna coronam immarcessibilem gloriæ. Gymnasticen firmam sani corporis constitutionem conciliare inquit Plutarchus: nostra verò Scholastica exercitia mentem hominis instruunt, iudicium acuunt, certitudinem rerum tradunt, religionem Christianam vt omnem primam, ita & verissimam Prophetarum, ipsius CHRISTI, & Apostolorum esse doctrinam ex ipsis fontibus monstrant, efficiuntq; vt non solum veri homines, sed etiam veri Christiani  
appel-

D E S C H O L I S.

appellemur, pro quibus immensis, ac verè diuinis beneficijs, ac salutaribus donis longè rectius & sanctius D E O, conseruanti Scholas nostras, gratias quotidie agere debemus, quàm Athenienses, qui Apollini Gymnasium eam ob causam dedicarunt, quòd ab eo sanitatem, firmam corporis constitutionem, & robur in certamina, dari & conseruari censebant.

Audite nunc quoq; viri spectatissimi, & vos o mei Filij charissimi, post hæc tria vulgaria, & omnium ore trita nomina, præclaras illas Scholarum, in quibus omnes sumus enutriti, & quidquid pietatis, honestatis, sapientiæ, atq; eruditionis habemus, in iisdem didicimus, arripuimus, accepimus, hausimus, apellationes, quibus officinas suas Spiritus sanctus honestat, ornatq;.

Schola Samuelis Prophetæ, in quam Philistini irruptionem fecerant, vocatur COLLIS vel COLLICVLVS ELOHIM, Der Hügel Gottes / hebraicè Gifha Haælohim. Apud Hebræos vocula Gæbay, vel Gifhah dicitur colliculus, qui est instar galeæ, & galeri, ex Scholis enim proueniunt non rarò viri, qui instar galeæ, & galeri sunt politijs, Ecclesijs, & rei familiari, instructi, nimirum non tam liberali eruditione, & eloquentia, quàm pio iudicio, & sapientiâ cœlesti, quæ omnia ad discutienda negocia intricata, & res grauissimas gerendas requiruntur. Huc respexisse videtur sapientissima Prophetissa Debora in suo Epinicio canens: Ex Machir prodierunt gubernatores, & ex Zebulon orti sunt, qui gubernant calamo scriptorio, vel calamo scribæ.

*Scriptoris calamo quos nocuisse iuuat,*

Hoc est, eruditi & sapientes viri, quibus gubernacula rerum

B 2

& ha

O R A T I O

& habenæ in hoc mundo rectè committit possunt: non ex laboratorijs sutorum, aut artificijs sellularijs deligi possunt, sed ex officinis Spiritus sancti, pijs scilicet & doctis Scholis progrediuntur.

Septuaginta interpretes voculam collis reddunt βρυός, quæ propriè est vox Affrica, sed tamen à græcis vsu recepta à βρυίζω accumulo, aggrego, & teste Hesychio, idem sunt βρυοί quod βῶμοι aræ vel altaria. Neq; enim Scholastici cætus sunt conuentus Cercopum, aut turpissimorum nebulonum, sed honestæ congregationes, & congressus pijs, piè docentium, & discipulorum, & agmina sacrosancta, vbi ceu ad sacras aras conuenitur, & DEO fiunt cultus grati.

Sicut autem Ecclesia CHRISTI sæpenumero vocatur MONS DOMINI in scripturis: ita Scholæ vocantur COLLES vel COLLICVLI DOMINI, & quidem cum Ecclesia Psalmo 68. vocantur MONS PINGVIS, MONS item COAGVLATVS, Ein gros fruchtbar Gebirge. Dicuntur enim montes coagulati, vbi collis collem attingit, & ita ex plurimis colliculis asurgit tandem altissimus mons, vbi vnus colliculus quasi ab altero pendet, videtur Spiritus sanctus hac locutione innuere Ecclesias, & Scholas asse coniunctissimas.

Assimilantur autem Scholæ non abs re colliculis: Plæruncq; enim Scholæ, & genus vitæ Scholasticum in immundo mundo floccipenduntur, & quidem respectu collium in mundo, vt Genesis 49. regna, & procures huius seculi vocantur. Scholæ non tantum iacent spretæ, sed & cum omnibus earum membris, & ornamentis, vt catharmata, & peripsimata habentur, & discipuli simul, ac docentes facile vti poterunt illo Dauidis: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ceu oves occisionis. Assueverationi huic &  
Pro

D E S C H O L I S.

Prophetæ astipulantur, hinc Isaias conqueritur: Ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum. Et Zacharias viros nominat prodigiosos. Hinc & illud Arriani *χολαστικὸν σέ δ' εἰ γενέσθης, ἴδ' το τὸ ζῶον, ὃ πάντες καταγελῶσιν*, indicans Scholasticos cum pijs, & fidelibus Præceptoribus istiusmodi animalia esse, quæ per Diabolorum & improborum hominum ludibrium ab omnibus irrideantur, vt Helisæo, Isaia, Jeremiæ, & alijs accidit. Interim consolemur nos dulcissimis Filij DEI dictis: Si de Mundo fuissetis, Mundus quod suum est diligeret, quia verò de Mundo non estis, sed ego SELEGI vos de Mundo, propterea ODIT VOS MUNDVS. Et vt ut sæuiat cum Mundo Diabolus, inuito tamen DEO nihil nocere nobis potest, quia galea seu galero tecti sub vmbra manus domini acquiescimus.

Ideò etiam non nudè vocantur Scholæ COLLES, sed COLLES HAÆLOHIM ipsius DEI, & quidem veri DEI, non commenticij alicuius Numinis agmina, cuius vt omnia opera sunt magna, & exquisita, ita & Scholæ firmiter vt montes sunt fundatae, suntq; hi colles sanctificati, & benedicti à Domino.

Autor hymni Ecclesiastici, qui decantatur die Ascensionis Christi, etiam videtur respexisse ad Scholas, cum inquit: Idithum (qua voce Filium DEI dilectum, cuius typus Dauid fuit, denotat) transiliuit omnes strenuè montes, colliculosq; Bethel. BETHEL, hoc est, Domus DEI est Ecclesia: MONTES BETHEL possunt intelligi de Academijs, Hierosolymitana, vel eius Schola Leuitarum ad Tabernaculum, & alijs: COLLES BETHEL de Scholis particularibus, pijs peduterijs, & phrontisterijs, seu Scholis triuialibus.

O R A T I O

Hos omnes Filius DEI transfiliuit cum ascendit in altum, ut dona daret hominibus, inter quæ à Diuo Paulo non Euangelistæ tantum, Pastores, Apostoli, & Prophetæ numerantur: Sed etiam DOCTORES, quos pia vetustas intelligit de docentibus in Scholis, hos inquam transfiliuit, hoc est Dominus, & Rector supremus, vel gubernator Scholarum constitutus est, sicut & caput Ecclesiæ, cuius pars etiam sunt Scholæ: qui etiam Ecclesiam dono linguarum, & artium cognitione ceu galea, & galero ornat, dans indicis ad operas scholasticas admirandos contra Satanæ rabiem successus, & sufficientes pijs Scholarum Magistris nouas vires.

Vocula Bethel autor hymni remittit Ecclesiam ad historiam Patriarchæ Iacobi Genes. 28. Terribilis, id est, omni honore, & pia reuerentia dignus est locus iste, hinc domus DEI est, & porta cœli. Et ad illud Cantici Canticorum: Ecce iste venit, saliens in montibus dilectus meus hinnulus. Christus enim per Scholas multis innotescit, & quidem gratulatur sibi, & Spiritu lætatur Mat. 11. quod per cæcum imbecilem, & inermem discipulorum, puerorum suorum, & Scholasticorum, & ludimagistrorum, qui pro fatuellis æstimantur, robur Satanæ potenter infringitur, atq; perstringitur.

Ecclesiastici XII. Scholæ vocantur **ASVPHOT**, **COLLEGI A** quæ habent suos **B A A L I M**, hoc est, Magistros vel dominos, ab vno illo Pastore **IESV CHRI**STO datos, & legitime vocatos *versamlunge/die ire Meister/das ist/ire Schuelfürsten / Schuelherrn vnd Rectores haben.* Scholæ enim non sunt conuentus cercopum aut Cyclopum *vbi οὐδ' εἰς οὐδ' ἐπ' οὐδ' ενός ἀκόνει* Sed vbi quidam ad caput, quidam ad pedes sedent. Vbi Magistri colligunt & interpretantur dicta sapientum, & ex eis, quæ ænigmaticè, & in parabolis videntur esse dicta, explicant, fontibus rerum monstratis, & veram



### DE SCHOLIS.

veram sententiam adiuti à Spiritu Domini, eruunt atq; eliciunt. Vocantur quoq; Scholæ Collegia habentia suos Magistros à Principibus, vel doctoribus publicè vocatos, sua habentes honorifica testimonia pietatis, eruditionis liberalis, & virtutum honestarum.

Scholæ quoq; dicuntur absolute Tabernacula, vel etiam **TABERNACVLA DEI, OHEL** vel **OLAHIM Hütten**/ab Ahal fixit tentorium, tetendit tabernaculum, erexit atriam, vel tabernaculum celebre, aperuit Gymnasium conspicuum. Sic enim ex relatione doctorum habemus Iudæos sinceriores locum Gen. XIII. de Schola Abrahæ intelligere, cum dicitur: Et tetendit, & habitavit in quærceto Mambræ, quæ est Hebron, hoc est, erexit & habitavit in Tabernaculo glorioso. Sic etiam de patriarcha Iacobo scribitur Gen. XXV. Iacob habitabat in tabernaculis, hoc est, frequentavit Scholam non modo patris Isaac, sed etiam Eberi, Salah & aliorum patrum, qui adhuc erant superstites. Huic Iudæorū, ac Lyræ sententiæ quoq; astipulatur D. Lutherus, per Moysis nimirum tabernaculum, quod alio nomine **ATRIUM CONSTITVTIONIS** appellatum est, tabernacula DEO sancta, quæ apud nos vocantur templa, & Scholæ, significari.

Isaiæ LI. Scholæ dicuntur **PLANTARIA, & SEMINARIA DEI**: Posui verba mea in ore tuo, & in umbrâ manus meæ protexi te, ad plantandum coelos, & fundandam terram. Nominat Filius DEI Ecclesiam suam, quæ voce verbi in Scholis & templis colligitur, **HORTVM** vel **PLANTARIVM**. Quia ad consuetudinem celestem, & æternam cum DEO, & Angelis ea colligitur. In hoc hortulo nos Filius DEI plantulas serit, prouehit, fouet, regit, flectit, protegit. Ea consuetudo vincit amænitate sua non solum cæteros hortos omnes, & politias cunctas, sed

O R A T I O

sed etiam primum illum hortum, in quo genus humanum ante lapsum fuerat collocatum. Posui verba mea in ore tuo, quasi dicat: Spiritu sancto docentium corda, cogitationes, manus, dicta, & facta regam, eosque in doctrina, vt salutaria, & pueris vtilia cum fructu doceant, instruam. Plantabo non tantum coelos, instituam ministerium docendi in Ecclesiis, & Scholis, sed etiam vmbra manus meae protegam. Ab impijs enim ministerium, & munus docendi non defendetur, quin imò non rarò atrociter impugnabitur, ideò polliceor ipse defensionem, protegam ministros Euangelij, Ecclesias, Scholas, pia studia. Ingens certè consolatio, & omnibus huius Mundi maximis thesauris longè anteferenda.

Psalmo 84. Scholæ dicuntur **FONTE S**, qui transeunt per vallem lachrymarum, & fontem foderunt. Certè benedictionibus coronabitur iustus. Fontes vocat loca, in quibus viget & verbum **DEI**, & bonarum literarum studia, quæ verbo **DEI** ancillantur. Et per hæc media **DEVS** facit fluere thesaurum verbi in omnes non tantum familias, & *ἑταρῆς*, sed etiam in vniuersi orbis plagas. Ideò semper Ecclesiis Scholæ fuerunt coniunctæ, sicut Prophe-tæ, & Apostoli suos cætus habuerunt, qui dicti fuerunt Prophetarum filij, & ita est propagata doctrina ad posteros, nec non æternus **DEVS** pro sua clementi bonitate hisce operis Scholasticis præsto fuit, & benedixit piorum doctorum conatibus, quantumuis isti fuerint, & adhuc sint, pleni ærumnis, curis, & gemitibus, & fontibus lachrymarum effusis. Idem etiam faciet vt fontes isti limpidissimi vsq; ad Mundi finem conseruentur.

Psalmo 46. Scholæ vocantur **FLVMINA RIVVLIS SVIS** lætificantia **CIVITATEM DEI**, vel potius Riuli vel diuisiones fluminum lætificantes **facrari**

D E S C H O L I S

crarium tabernaculorum, Lustige Brunnlein der Stadt Gotes. Ministerium verbi flumini vel fonti augusto comparatur. Sed hic fons etiam habet suos riuulos scaturientes, qui suauiter recreant fessos & anhelantes. Sicut enim riuus fluens è Siloh, qui præterfluebat Hierosolymam, multiplicem exhibebat vsum incolis vrbis, quanquam esset exiguus: ita etiam Scholæ, quantumuis spernantur, sæpè vt tenues Riuuli magnam tamen læticiæ materiam præbent Ecclesiæ.

Etsi autem ex his præcipuis & pulcherrimis Scholarum nominibus constat ordinem nostrum D E O placere: tamen in illo contemptu & paupertate, quam pñ & fideles Præceptores quotidie cum gemitu experiuntur, & quam considerantes multi præclaris ingenijs, & donis à D E O egregijs ornati adolescentes studia fastidiunt, eaq; prorsus deserunt, non à re, sed valde necessarium esse videtur, vt vitæ nostræ genus Paulò altius intueamur, & palàm faciamus, illud cum omnibus requisitis digito D E I, qui est Spiritus Sanctus, in sacris Biblijs inscriptum, & in verbo D E I probe fundatum. Quam narrationem vobis Clarissimis, Reuerendisq; viris atq; P. C. prudentissimis, cum collegis nostris, ac vniuerso cætui Scholastico, non ingratham fore confido.

Scholæ fit mentio i. Sam. i. vbi dicitur Anna mater Filium suum Samuelem ad Domum Domini adduxisse in Siloh. Vsitatum enim in populo D E I fuit, & adhuc, imensa D E I bonitate, est in Germania, vt iuxta loca sacra essent Synagogæ, quæ nihil aliud sunt, quàm publici docentium & discipulorum conuentus, in quibus doctrinarum & precationum fiunt exercitia. Matthæi 9. circumibat I E S V S ciuitates omnes, ac viros, docens in Synagogis eorum.

C

Luca



O R A T I O

Luca 4. ipse Dominus docuit in Synagogis eorum, & postea venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intrauit Secundum consuetudinem suam die Sabbathorum in Synagogam. Luca 11. Dominus reprehendit superbos Phariseos, quod diligunt *πρωτοκαθεδρίας ἐπὶ ταῖς συναγωγαῖς*, primas cathedras in Synagogis. Iohan. 18. Coram pontifice in confessione sua inquit Dominus, se semper docuisse in Synagoga, & in templo. Onimium felicem illum cum suis incolis locum, cuius in Passione sua meminit Redemptor & Saluator totius generis humani. Actor. 19. Paulus disputat in Schola tyranni cuiusdam.

Præceptoris, discipulorum, & ipsius Scholæ fit mentio 4. Reg. 6. Vbi Filij Prophetarum, qui sunt discipuli Elisæi, Præceptorem rogant, vt ludum suum propter frequentiam, ampliare, & ad Iordanis ripam in locum patentiore traducere velit: indicatur etiam ibidem tenuis studiosorum victus, laborum ac vigiliarum quotidiana exercitia, & magna paupertas, quod in cedendis lignis securim aliunde commodo acceperint. Consolationem præterea dulcissimam præbet ille ipse locus omnibus pauperibus Præceptoribus, ac discipulis, quod etiam in temporum difficultatibus, & fame publica diuinitus conseruentur, & alantur, è multis etiam vitæ periculis, inscientes liberentur quotidie. Isaia 8. Propheta tanquam fidelis Præceptor Dominum rogat, vt liget testimonium, & obsignet legem in discipulis suis, ne videlicet labor ille, quem in Domino sustinent, sit irritus, vel inanis. Et mox querelam adiungit tristissimam inquit, Ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in signum & in portentum: ex hoc & similibus locis manifestum est Prophetas, mores & studia adolescentum inspexisse, atq; gubernasse, & cum suis discipulis ludibrium, & impij Mundi fabulam fuisse.

## DE SCHOLIS.

fuisse. Sed omnium pulcherrimum, & multiplicis consolati-  
onis plenum testimonium est illud Iairi, Principis Synago-  
gæ, cuius domum Christus ingreditur, & defunctam filio-  
lam à morte excitat. Hic igitur nos miseri Præceptores, &  
scholastici habemus firmissima sacrae scripturae testimonia  
placere, & curæ DEO esse, & ab eodem iuuari, conseruari,  
& defendi nostrum ordinem. Ideò in timore Domini DE-  
VM inuocemus, ipsi fidamus, & uocationis nostræ mune-  
ra strenuè faciamus, vt sit semperq; maneat nobiscum cum  
sanctis suis Angelis ipse Pater cœlestis, daturus nobis salu-  
bria, & cum Scholis mansurus prece sui dilectissimi Filij, qui  
in sua pueritia Scholam ingressus, præsentia sua eam orna-  
uit, doctrina sua sanctificauit, ac postea per totius vitæ curri-  
culum in ea fideliter docuit, commotus.

Discipuli seu scribæ pñ meminere Psal. 44. lingua mea ca-  
lamus scribæ, velociter scribentis. Sarias scriba est in aula  
Dauidis 2. Reg. 8. Baruchus famulus, & amanuensis Pro-  
phetae Ieremiæ lateri sui Præceptoris semper fuit affixus, &  
in nullo ipsum deseruit periculo. Extat insignis locus de pñs  
scholasticis, qui suorum Præceptorum vestigijs strenuè infi-  
stunt Isaia 22. vbi dicitur: Vocabo seruum meum Eliacum,  
Filium Helciae, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo  
confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manuseius, &  
erit quasi Pater habitantibus Hierusalem, & domui Iuda. Si-  
milis locus de pallio Heliaë Elisæo dato legitur 4. Reg. 2.

Discipuli seu scholastici fidelis legitur Marci 14. adole-  
scentulus ille, qui sequens Dominum in Passione Syndone  
vestitus, ab improbis comprehensus nudus effugit, astitit  
fortasse hic adolescens Domino & Apostolis ad mensam cum  
ederent pascha, & ministravit Christo instituenti sacro san-  
ctam sui veri corporis, ac veri sanguinis cœnam.

O R A T I O

Scribæ seu famuli improbi, mendacis, & infidelis exemplum est 4. Reg. 5. Gehazus Elisæi famulus, qui propter improbitatem morbo contagioso, & fœdo infectus illud malum omnibus suis posteris reliquit.

Cathedræ in Synagogis seu Scholis ipse Dominus Matthæi 12. & Lucæ 11. meminit.

Primi literarum Elementi, quod est A, fit aliquoties mentio in Prophetis, Jeremiæ 1. & 14. cap. Ezechielis 4. & 20. Iohelis 1. ubi dicitur a, a, a, Domine D E V S, & a, a, a, diei, quia propè est dies Domini, quorum locorum licet aliæ sint interpretationes, hæc tamen etiam non inconcinna videtur esse, quod Prophetæ, vel potius ipse Spiritus sanctus miretur paucissimis & minutissimis istis, & quasi spretis literarum clementis Sanctissimum incompræhensibilis D E I nomen, totamq; rerum vniuersitatem contineri, & scribi posse. Apocalypsis 1. & 22. Ponitur alpha & omega, & Ezechielis 9. frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiebant in populo, signantur. Thau, quæ teste in Marcum Diuo Hieronymo, salutaris atq; sacra litera est, cum quia refert figuram crucis, in qua Dominus & Saluator noster, antequam expiraret dixit **CONSUMMATVM EST**, tum quia perfectionem significat, quia Hebræorum Elementorum vltimum, ac verum, & proprium sub **CHRISTI** Ecclesia conscriptorum, ac militantium Symbolum, & signum est. Neq; frustra inter latina Elementa litera zita vltimo loco ponitur, requiem enim nobis præcipit iuxta versiculos:

ἔξ ὧραι μόχθοις ἰκανώτατον, αἱ ἢ μετ' αὐτοῖς  
 γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθα λέγουσι βροτοῖς.

*Sex*

D E S C H O L I S.

*Sex hora tantum rebus tribuantur agendis,  
 Vivere post illas litera zita monet.*

Admonent enim tertiam, vel quartam diei naturalis partem meditationibus, studijs, ferijsq; negocijs tribuendam, animiq; intentiones, & labores ita temperandos esse, vt sufferre possimus, ne ante tempus iisdem succumbamus. Etenim D E V S, vitæ autor & dator, qui labores imposuit, & mandauit, idem etiam Sabbathum, & vacationem ad cultum diuinum, ad animi recreationem, virium refectionem, ordinauit, instituit, præcepit. Et Plutarchus requiem laborum condimentum nominat, ἡ ἀναπαύσις πόνου αὐτομά ἐστι. Sed non institui hoc loco literarum Encomium. Danielis 4. Manus D E I apparentis literas in parietis tectorium pingit ignotas.

Calamum scriptorium, seu stylum ferreum, & laminam plumbi nominat in libro suo Hiob cap. 19. & textus germanicus Iudicum 5. Isaias Propheta capite 8. à Domino iubetur scribere stylo hominis: & Ieremiæ 17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo. Apocalypsis 3. dicitur, Scribam super eum nomen Domini mei, & nomen ciuitatis D E I meæ nouæ Hierusalem.

Scalpellum seu cultellus, quò ab scribendum calami præparantur Scriptorij, vnà cum atramento inuenitur Ieremiæ 36. vbi Scalpello Rex volumen, in quo Ieremias ex ore suo scripserat verba Domini, à Barucho oblatum Scalpello scribæ scidit, & in ignem proiecit.

Atramentum eodem loco additur, scribam enim inquit amanuensis Prophetæ omnes sermones istos in volumine atramento.



○ R A T I O

Atramentum & chartam coniungit D. Apostolus Iohannes in fine secundæ suæ Epistolæ, dicens: Cùm multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam & Atramentum.

Atramentarium ad renes, in dorso scriptoris alligatum legitur Ezechielis 9.

Acetum in Creta, inquit textus germanicus, qui cantat carmina cordi pessimo Prouerb. 25.

Tabulas duas testimonij, manu DEI scriptas ex vtraque parte, de monte secum portat vir DEI Moses Exodi 32. quas cùm ex animi indignatione de manu sua proiecisset, & ad montis radicem confregisset, iubetur Exodi 34. alias duas præcidere instar priorum: excidit ergo duas tabulas lapideas, quales priores fuerat, eas postea in Arca fœderis Domini sub alis Cherubin diligenter asseruatas fuisse testatur Iehus Propheta, qui Regum libros scripsit 3. Reg. 8. A Domino iubetur Isaias super buxum. Hoc est tabulam ligneam e buxo, vel cyparisso in perpetuam memoriam scribere, & Propheta Habacuc capite 2. iubetur à Domino visum scribere, & explanare eum super tabulas.

Natum puerum I E S V M, Salvatorem & Redemptorem totius generis humani, mater virgo Maria fascijs inuoluit, quæ fasciæ quoque de libris & chartis ( quæ ex linteolis mirabili labore fieri solent ) sacrosanctæ scripturæ, quibus per digitum DEI Spiritum sanctum inscriptus, & inuolutus est cum suis beneficijs Messias, intelliguntur. Ideo ipse Dominus scripturas nos scrutari iubens, Scholis libros Prophetarum & Apostolorum, cum alijs salutaribus, & vtilibus scriptis vnà commendat. Hinc librorum crebra fit in sacris Biblijs mentio, Exodi 32. Liber à DEO scriptus, ex quo afflictissimus doctor Moses pro salute populi sui deleri cupit:



D E S C H O L I S.

cupit: & David inquit Psalmo 139. in libro tuo omnia membra, scilicet mea scripta erant, quæ per dies formata sunt, cum adhuc nullum eorum extaret. Liber viuentium ponitur Psalmo 69. Danielis 12. & Apocalypf. 3. Gaudete inquit ad omnes pios Dominus, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis, Lucæ 10. Liber iustorum Iosua 10. & 2. Reg. 1. Liber mandatorum DEI, & lex, quæ est in æternum in Principio capituli 4. Baruchi. Liber Legis Domini in plurimis sacrae scripturae locis legitur, & Isaia capite 30. Mandatur illud diligenter in libro exarare, vt sit in die nouissimo in testimonium vsq; in æternum. Lucæ 4. Traditur liber Isaia Prophetæ ipsi Domino in Synogoga Hierosolymis, qui illum explicuit, & complicuit, ministroq; reddidit.

Sacrae linguæ quoq; libris continentur, & in Scholis docentur. Linguarum igitur confusio cum ingens DEI poena sit Genesis 11. & Spiritus sanctus impijs linguarum dissipationem, seu confusionem imprecetur Psalmo 55. constat cognitionem literarum, atq; linguarum DEI donum, & Spiritus sancti præclarum munus esse Actor. 2. & 1. Cor. 12. Quin & ipse Dominus in cruce iam pendens linguarum cognitionem adeo sibi perplacere testatur, vt velit Passionem & mortem suam, totumq; redemptionis generis humani opus in omnibus linguis, cunctis in vniuersa terra gentibus, innotescere. Ideo titulus crucifixi DEI æterni Patris, & Mariæ virginis Filij, tribus præcipuis linguis à Pilato, non absq; Spiritus sancti ductu, scriptus in cruce supra Domini pendentis caput fuit conspicuus: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Neq; dubium est cum linguæ latinæ per vniuersum orbem terrarum vsus sit frequentissimus, omnipotentem Deum quartam & vlti-

O R A T I O

ultimam Monarchiam Romanam hac lingua tanquam honorario præcipuo donasse, quod in ea vnigenitus, & dilectus DEI Filius natus est, vt per eam Passio, mors & Resurrectio, atq; omnia Christi crucifixi & resuscitati beneficia toti mundo annunciarentur ad testimonium super ipsos, ne aliquis huius tantæ rei ignorantiam prætexere, aut suæ perditionis causam in DEVM reijcere, aut aliqua causa, excusare possit. His tribus sacris linguis addatur Germanica, in quam verbum DEI copiose, sincerè, & DEI gratia, luculenter translatum in omnem terram hoc vltimo seculo exiuit.

Didactrum, seu precium fidelium Præceptorum in hac miseriarum valle, indicat esse Isaias Propheta cap. 30. panem arctum, & aquam breuem: in vita verò beati fulgebunt, iuxta Danielis Prophetiam, quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et Petrus Apostolus pascentibus Christi gregem, cum apparuerit Princeps ille Pastorum, qui est IESVS CHRISTVS immarcessibilem gloriæ coronam pollicetur.

Sed cur huic loco tam diu immoror? Nolite quæso hanc meam moram P. C. Domini, & amici mei optimi, ægro animo accipere, cum tractent fabrilia Fabri, & hæc iam à me ad animi aliquam leuationem, & vt nos officij nostri admo-  
neam, dicta sint. Finem etiam iam ilicò facerem, nisi adhuc vnum, quod præ cæteris omnibus in Schola maximè est necessarium, & Spiritus sancti elogio celebratum, SCPTRV M nimirum SCHOLASTICVM, restaret, de quo me non nihil dicentem, vt benigni, & attentè audiatis, etiam atq; etiam rogo.

Plato libro de Republica VII. Sic describit puerum:  
 ὁ ἢ πάντων ἀρίων ἐστὶ δημοταχιστότατος. ὅσῳ γὰρ μάλιαν  
 ἔχει

DE SCHOLIS

ἔχει πηγὴ τῶ φρονέειν μήπω κατῆστου μὲν ἐπιβουλοῦ, καὶ θριμύ, καὶ ὑβρία  
σάτατον θηρίων γίγνεται. Διό δ' ἡ πολλοῖς αὐτὸν οἶον χαλινοῖς τισι δ' εἰ δ' εἰς  
μύειν.

Hoc est,

*Ferocior non bestia,*

*Quæ sit minus tractabilis*

*Est quàm puer, committitur*

*Quando sibi ipsi, & spernitur.*

*Nam cum parum prudentiæ*

*Habeat suo sub pectore,*

*Astutus, estq; acerrimus,*

*Et improbus præ cæteris,*

*Tellus tenet quas, bestijs.*

*Quasi ergo multis vinculis*

*Frenisq; vincendus est,*

*Si in patriæ civem utilem,*

*Debet bonumq; evadere. Quæ cum ita sint sce-*  
*ptro, seu ferula Ludimagistris opus est.*

Cum primi nostri Parentes Adamus, & Eva contra  
DEI mandatum de arbore prohibita comedissent, eiecit  
eos Dominus e paradiso, & collocavit ante paradysum vo-  
luptatis Cherubin, & flammeum gladium, atq; versatilem,  
ad custodiendam viam ligni vitæ. Hæc custodia dubio pro-  
cul usq; ad vniuersale totius terrarum orbis Diluuium du-  
rauit: Postea verò cum Diluuij aquis lignum vitæ perisset,  
& non inueniretur amplius, DEVS in eius locum substi-  
tuit LIGNVM SAPIENTIÆ seu Betulam.

D

Audite

O R A T I O

Audite vos ô mei charissimi Filij, & adolescentes optimi, quàm præstans hæc sit arbor, & quantas nobis afferat utilitates. Nullam enim arborem sub sole reperiri arbitror, cuius tanta sit dignitas, & utilitas, & quæ tam multa humanæ vitæ afferat commoda.

Arbor hæc est altissima & gracilima: ad altos enim honoris gradus illos, qui ea vsi sunt, euehit, eosq; reddit sanos & sobrios.

Corpore alba, præter externum putamen, duplici induta tunica cernitur, quarum exterior nonnihil ad rubrum colorem vergit, interior est viridis. Albus, & ruber color significant cum misericordia coniunctam iustitiam, hæc maximæ virtutes cum ex huius arboris disciplina proueniant, Magistratus reddunt laudabiles. Viridis color præ cæteris oculos confortat, vsus huius arboris humanos oculos abstergit, & acuit, vt res altius intueantur, melius considerent, & rectius prosequantur. Albedinem ligni puto candorem denotare, ne calumnijs moueatur Magistratus, aut quiuis Christianus, sed ambiguè dicta in meliorem partem interpretetur, & aure audiat vtraq;: vtq; album maculam sine summo sui ipsius detrimento non accipit: Sic quilibet peccata contra conscientiam fugiat, ne sibi ipsi cauteria inurat, alijsuè scandalo noceat. Duplex etiam Betulæ vestitus indicat panem quotidianum, & amictum sufficientem tribui diligentibus disciplinam, cum osoribus contraria eueniant, iuxta illud Salomonis: Egestas & ignominia opprimet disciplinæ contemptorem, at custos disciplinæ honore afficietur.

Succus arboris scabiem, & alias in corpore hominis putredines dicitur expellere, atq; ita ab interioribus sordibus corpus purgare, & emundare, vt ad res gerendas redatur

datur

D E S C H O L I S .

datur aptius, & alacrius. Instituti sub Præceptorum disci-  
 plina, ac ferula in Scholis, animum excolunt, mentem multi-  
 plici scientia, & multarum rerum bonarum, ac utilium cog-  
 nitione in hac vita informant: norunt verè discernere inter  
 virtutes & vicia, & in sua potestate animum continere, no-  
 runt vtrancq; fortunam moderatè ferre, atq; ita multò nobi-  
 liores, & præstantiores sunt ijs, qui virgæ impatientes hu-  
 manitatis studia non attigerunt, mentem non erudierunt,  
 animum honestis moribus non ornauerunt, neq; linguam  
 facultate dicendi instituerunt, inde fit vt parum à beluis di-  
 stent, sæpius etiam, proh dolor, vt experientia quotidiana  
 testatur, sint ipsis feris multò deteriores.

Betulæ folia figuram cordis humani referunt, habentq;  
 colorem graminis suauissimum. Vfus huius arboris non so-  
 lum cor hominis reddit sapiens & prudens iuxta illud Salo-  
 monis: Stulticia radices agit in corde pueri, at virga disci-  
 plinae magistra procul eam amandabit: verum etiam efficit  
 vt ea ipsa, quæ in cordis sui thesauro perpendit homo, quæ  
 secum statuit, quæ per variarum disciplinarum cognitionem  
 concepit, certa, perspicua, & elegantî orationis forma expo-  
 nere, cum alijs communicare, & quod omnium est maxi-  
 mum, D E V M verè & ardentè inuocare, ipsiq; sacrifici-  
 um laudis immolare, & Altissimo vota sua possit reddere.

Cogitate præterea ô pueri charissimi quam hæc scho-  
 lastica virgo vos alacres & lætos reddat. Quando enim cu-  
 tis vestra ipsam bene sentit, cum scilicet saltans vobiscum,  
 quasi choreas ducit, tunc alta voce clamare incipitis præ ni-  
 mio, opinor, gaudio, gratulâtes vobismet ipsis purgationem  
 ad sanitatem, et ad sapientiæ præparationem, et cognoscen-  
 tes inde Parentum & Præceptorum vestrorum φιλοσοφίαν  
 verum ac paternū erga vos amorem iuxta illud Salomonis:

D 2

Qui

O R A T I O

Qui parcè vtitur virga, odit Filium suum, qui verò diligit Filium, tempestiuè eum castigat. Disciplinam igitur ô mei Filij, & castigationem, tanquam animi optimum medicamentum amate, ea enim mala declinat tragica, & à morte custodit horribili, teste per Salomonem Spiritu sancto mandante Prouerb. 23. Non omitte castigationem pueri, nam virga percussus non morietur: Quòd si virga percusseris eum, ex inferis animum eius eripies, hoc est vt vir D E I D. Lutherus interpretatur, quem Parentes & Præceptores castigant, ille manus Carnificis effugit. Castigatione hæc ætas carere potest minimè, qui Parentem & Magistrorum correctionem, quæ fit admonitionibus & virgis, non admittit, gladio vel laqueo punitur ab eo, cui id à Magistratu politico demandatum est. Etenim hoc à D E I prouidentia, & iudicio, quod nemo potest effugere, sic ordinatum atq; institutum est. Nam qui nihil facit sapientiam, & disciplinam, seu vt textus habet Germanicus, virgam, is infelix est, & vana est talium spes, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum vt sapientia in libro suo capite 3. loquitur.

Perstrinxi aliquot nequaquam contemnenda commoda, quæ sceptrum scholasticum animis & mentibus humanis afferre solet. Audite quæso nunc etiam quid ad corporis nostri conseruationem conducat.

Betula seu virga scholastica viribus nimio labore exhausta, senex & decrepita fornaci imposta tempore hyemis frigus arcet, & calore suauissimo fouet, ac recreat corpora nostra, illo quoq; suo calore cibum præparat, & concoquit, vt vsibus humanis magis sit idoneus, & sanitatem, vitamq; nostram iuxta ordinationem diuinam conseruet ac prouiget. Per crematæ betulæ cinerem destillatur lixiuium, quò capita nostra ab excrementis viciosis, quæ furfures seu porrigines

D E S C H O L I S .

rigines vocantur, & tota corporis cutis ab externa scabie liberatur, & à scabie, ne corpus inuadat, præseruatur. In smigmatibus etiam præparatione, cuius in corporis & vestium nostrarum mundicie vsus est præcipuus, & necessarius, hoc cinere carere non possumus. Tandem emortuus ille cinis terræ aquosæ inspersus, omnem inde maliciam auferens, agrum fœcundans, & prouentum graminis copiosum adiuuans, quasi reuiuiscit. Nonne hoc etiam in huius cineris natura admiratione dignum est, quod Fortunæ quoque bona promouet, & in officinis, in quibus metalla excoquuntur, requiritur? Necessè enim est, vt ex eo focus fornacis, in qua à plumbo argentum purum separatur, formetur. Hanc igitur vt DEVS nobis arborem conseruet, vobisque eruditionem, sapientiam, sanitatem, & quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria largiatur, vos mecum ô pueri DEVM omnipotentem, & cunctarum rerum creatorem, atque conseruatorem inuocate.

De scholarum utilitatibus nunc dicendum erat, sed quia hætenus nonnullæ inspersæ sunt, ne modum excedat oratio, contenti sumus hoc vnico dicto sapientissimi & potentissimi regis Lydiæ Cræsi, qui in direptione Sardis regis, in qua domicilium artium erat, ad victorem & præstantissimum Monarcham Cyrum inquit: Τέχνας εἶναι τῆς γὰρ τῶν καλῶν, Quidquid enim omnibus vitæ generibus inest boni, id omne, DEI bonitate, ex Scholis & artibus liberalibus proficiat. Et Scholas negligere, aut omnino tollere, est solum à cœlo auferre, propterea osiores, & hostes scholarum grauissimè semper puniti sunt, cuius rei testis est sufficiens Iulianus Apostata, Filius DEI Crucifixi, & resuscitati, atque scholarum hostis acerrimus. Cùm imperium maris tenerent Mitylenenses socijs, quia à Republica descuerant, hanc



O R A T I O

pœnam imposuerunt, vt liberos suos non docerent literas, neq; artes liberales: omnium nimirum suppliciorum hoc grauissimum indicantes in inscitia, & ignorantia artium liberalium vitam transigere: neq; facile pœnam pro tanto scelere grauiorem excogitare potuissent.

Summis igitur, & præcipuis DE I beneficijs annumerandum est hoc, & ob id DE O enixè gratiæ sunt agenda, quòd Scholas Christianas apud nos conseruat, per Filium Dominum nostrum IESVM CHRISTVM colligit, & Spiritu sancto regit atq; gubernat. Et sicut ab initio mundi semper Scholas adiunxit Ecclesiæ, sic eas vsq; ad huius seculi consumationem vt in his regionibus & in hac vrbe clementer, & pacificè conseruet, toto & ardentissimo pectore noctes atq; dies sedulo inuocandus est.

Quòd verò Scholæ & Ecclesiæ semper coniunctæ fuerint ab Adamo vsq; ad hoc tempus, cum à Reuerendo Domino Superintendente Dauide Krautuogelio, Scholæ vigilantissimo Ephoro, ac patrono præcipuo in concione funebri, Viro clariss. Domino Rectori M. Friderico Zœrlero, piæ & sanctæ memoriæ habita, fat luculenter dictum sit, breuis etiam præcipuorum ab Adamo vsq; ad Martinum Lutherum, & Philippum Melanchtonem, doctorum series in carmine vltimo huic orationi adiunctum, inueniatur: vos auditores optimi eò breuitatis causa remitto, & solummodo qualemcunq; huius nostræ Scholæ, & præsentis actionis mentionem faciam.

Magna fecit DEVS, certè magna inquam fecit DEVS, qui potens est, & sanctum nomen eius, huic vrbi, patriæ scilicet meæ charissimæ, quæ inter Misniæ ciuitates prima, & præcipua fuit, quæ cum summo periculo Doctrinam Euangelij, per virum DEI, & Eliam tertium D. Lutherum à  
Papæ



DE SCHOLIS

Papæ sordibus repurgatâ, accepit. Nam vt de ijs tantum dicam, quæ nostri sunt instituti, immensa DEI bonitate Scholam, tanquam summum Christianæ Reipublicæ ornamentum, & omnium ordinum sanctissimum seminarium, bene constitutam, cum egregia scholasticorum frequentia habuit: ac ne rem altius repetam, neue vos diu detineam, breuiter perstringã ludi huius Moderatores, qui meâ memoria cum laude, & fructu maximo studijs iuuentutis hîc præfuerunt.

M. IOHANNES RIVIVS Attendoriensis, magister morum seuerissimus, duorum Electorum Mauricij & Augusti Præceptor, cuius VERBA ERANT VERBA LEGIS, os mihi puero informauit, huic ad munus altius vocato successit discipulus M. ADAMVS SIBERVS Chemnicensis, poëta nostri seculi suavis, & præcipuus. Hic cum etiam locum mutaret, vocatus est huc VVitteberga anno 1545. ab hoc quadragesimo secundo (quo ego primùm cum parente meo chariss. piæ memoriæ VVittebergæ fui, & heroes fermè omnes illius seculi vidi, inter quos Propheta Germaniæ D. Lutherus cum PHILIPPO MELANCHTONE præ reliquis veluti Leo inter animalia generosissima eminebat: illum domi suæ audiui cum patre meo familiariter colloqui, in Schola prælegere conspexi, & in templo docentem audiui: quam felicitatem mihi ipsi non minus gratulor, quam Ignatius gloriatur se in puericia vidisse Dominum) M. VALENTINVS APELLES Gubiniensis, antiquitatis studiosissimus, & diligentissimus, qui scholam adeo habuit frequentem, vt numerus discipulorum sæpe millenarium attigerit, qui cum in statione sua curriculum Diui Apostoli Pauli attigisset, Scholæq; triginta & sex annos præfuisset, anno ætatis suæ sexagesimo octauo mortalis esse desiit. Illo decumbente  
anno

anno octuagesimo primo supra millesimum & quingentesimum  
 finem Dresda vocatus est huc M. FRIDERICVS  
 ZÖERLERVS Kittingensis, cum antea annos viginti  
 tres Apellis fidelis *μαθησάτης*, & decennium postea Scholæ  
 Dresdensis *σκηπτάρχος* fuisset, vir ad Scholas natus, & schola-  
 sticorum laborum patiens, inter reliqua hoc quoque orna-  
 tus dono, quod exiguo tempore potuerit optimos autores  
 evolueri, eosque auditoribus succinctè proponere, quemad-  
 modum illud etiam in evoluendis sacris Biblijs non infelici-  
 ter præstitit. Hi ambo in aureo, de quo modo dixi, inclytæ  
 VVittebergensis Academiæ seculo sub Elia, & Elisæo vix-  
 erant. Apelles Præceptore priuato vsus est viro in græcis  
 excellenter Docto VITO VMINSHEMIO Me-  
 dico, Zœrlerus in sinu Pauli Eberi Theologi enutritus, ab  
 ipso, ni fallor, MELANCHTONE, prudentissimo  
 huius vrbs Senatui commendatus est. Qui cum hinc quin-  
 quennium & semestre Scholæ gubernaculum tenuisset, vt  
 fortis DEI Filius miles in actu & statione sua occubuit. Die  
 enim Ianuarij vltimo hora secunda Meridiana, qua me re-  
 pugnantè pridie suo adhuc officio functus graui vocis con-  
 tentione in Schola publicè prælegisset, nobis præsentibus, vt  
 non sentiret mortem, cum prius animam suam in Filij DEI  
 manus comendasset, placidè sub mea manu expirans ad ele-  
 ctorum contubernium collectus est, cum annum quintum  
 & sexagesimū suæ ætatis fermè impleisset, somno veluti fessus  
 in vinea DEI operarius, qui pondus diei & æstum por-  
 tauit, placidissimo correptus. Mors hæc meo iudicio natu-  
 ralis fuit: diutius enim hoc exile, & viribus exhaustum senile  
 corpus graues istos, & quotidianos Scholæ labores, quos  
 magna animi commotione plerumque sustinebat, ferre non  
 potuit: neque mors fuit improuisa, sed ex prodromis illam  
 sine

D E S C H O L I S

sine dubio ex morte nepotis, & trium filiarum virginum prospexit. Quibus omnibus constat, quod se ad mortis horulam indies preparauerit, & nunc illis annumerandus sit, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Et, iustus si morte praecipuus fuerit, in refrigerio erit.

Tenebras ante Mundi huius finem hominum ingratitude attracturam D. Lutherus praedixit, quae si venire debent in Scholis eas inchoari necesse est, cuius tristissimi vaticinii per aliquot annos vidimus, DEVS omen auertat, initium. Praemisimus ex hac miseriarum valle ad sanctoium Angelorum contubernium intra paucos annos ludimagistros non vulgares, e vicinia GEORGIUM FABRICIUM, & ADAMVM SIBERVM Poetas Christianos, & seculi nostri clarissimos: in hac vrbe sexennio nondum completo APPELLEM & ZOERLERVM, salubria Spiritus sancti, & utilia Scholis Christianis organa.

Sunt viri docti, prudentes & boni verè columnæ ciuitatum, teste Platone, qui inquit: ὅταν βέλῃτον θεός εἴ πρᾶξαι πόλιν, ἀνδρας ἀγαθὸς ἐνεπαίσειν: ὅταν ἡ μέλλῃ κακῶς πράξειν πόλις, ἐξέλῃ τοὺς ἀνδρας τοὺς ἀγαθὸς ἐκταύτης τῆς πόλεως ὁ θεός. Hoc est,

*Cum ciuitati munera*

*Præstare summa vult DEVS,*

*Doctos, bonos & utiles*

*Viros in illam collocat:*

*Si quid mali verò imminet*

*Reiq; pæna publicæ*

*Viros bonos, & utiles*

*Ex ciuitate hac eripit.*

ε

Eripi-

O R A T I O

Eripiuntur nobis pij, docti, fideles, & longo usu exercitati è Scholis Præceptores, in quorum stationem cum iuniores, vera pietate præditi, cognitione linguarum egregia instructi, eximia liberalium artium scientia muniti, & præclara morum grauitate exculti succedere debebant, illud raro fit. Etenim illi nimia huius seculi ingratitude, contemptu, labore, & paupertate offensi, aut illois, vt dicitur, manibus in facultates sine iudicio irruunt, in hisq; postea tanquam in pice mures hærent: aut si per vnum, atq; alterum annum operam Scholis suam nauauerint, eas deserunt, atq; Theologiæ studio sese dedunt, vel ad aliud magis quæstuosum, splendidum, & quietam vitæ genus animum applicant. Quam periculosum autem sit iuuentutis Præceptores sæpe mutari, testatur proh dolor ipsa experientia. Inde penuria salutarium ludimagistrorum, quam iam esse conquerimur, maior si indies fuerit, tanquam ingens ingratitude pœna à DEO immissa inspicienda, & barbaries magna metuenda est: quam ne nos ipsi, neue posteri nostri dolentes aspiciant, Filium DEI oramus, vt huius pessimi Mundi finem faciat, & propter electos suos, qui ardentibus gemitibus, & intimis suspirijs noctesq; ac dies illud exoptant, dies decurrere velit.

Anno 1548. ab hoc nono & tricesimo cum ego inclyti huius Senatus suffragio in illustrem ad Albim Scholam nominatus, Illustrissimi Electoris Mauricij, & Augusti munificentia sexennium nutritus, & in optimo illius ludi flore sub D. GEORGIO FABRICIO Chemnicensi, MATTHIA MARCO Dabercusio, & HIOBO MAGDEBURGO, optimarum artium præcepta didicissem, & vtriusq; Latinæ & Græcæ linguæ mediocrem cognitionem mihi comparassem, iussu Fabricij in inclytam  
me

D E S C H O L I S.

me VVitebergensem Academiam contuli, illic cum per biennium versatus essem, & Præceptoribus D. P H I L I P P O M E L A N C H T O N I, D O C T O R I P O M E R A N O, P A V L O E B E R O, & V I T O V V I N S H E M I O innotuissem, doctrinæ testimonio publico ornatus, N I C O L A O S C H E L L E R O Coburgensi, in Galliam mandato illustrium Saxoniae Ducum proficiscenti, in Schola priuata successi, & Medicinæ initia vnâ degustauit, atq; intra priuatos parietes docui biennium. In medio verò cursu in patriam vocatus functionem scholasticam, vt ingenuè fateor, inuitus, & à parentibus meis coactus, accepi. Ad eam quoq; conditionem suscipiendam impulit me vir D E I H I E R O N Y M V S V V E L L E R V S, sacro sanctæ Theologiæ Doctor, eiusq; in patria Professor fidelissimus, & patriæ nostræ ornamentum præcipuum, à cuius latere vt à pueris nunquam discessi, sic postea cum eodem, quo ad vixit, fui quotidie. Etenim nihil minus cogitauit, quam in scholastico puluere consenescere, vt verum illud ore tritum dictum meo exemplo esse confitear: Hominem proponere D E V M autem disponere. Volenti enim mihi rursus postea in Academiam abire, & studia inchoata continuare, tam varia impedimenta oblata sunt, vt quasi oculis coram cernere potuerim, D E V M ipsum me ab illo studio abstrahere, & in Scholam compellere. Vixi igitur cum A P E L L E & Z O E R L E R O decennium, quo finito in Curia Scribæ Iudiciorum munus mihi oblatum est, illo triennium cum quarta anni parte functus, rursus in Scholam attractus sum, coniunctus iterum Apelli decennium, & iam Zoerlero ferè sexennium. Tanta autem inter nos, & reliquos fratres, atq; collegas omnes fuit, D E I bonitate, concordia, vt nulla vnquam vel minimo

E 2                      verbu

O R A T I O

verbulo facta sit aliqua animi offensio, quam verè fraternam charitatem vt DEVS huic Scholæ in posterum, atq; in perpetuum quoq; conseruet, & tueatur, pacis autorem ex animo vobiscum comprecor.

Quia verò iam in ingrauescente senectute vocatione potius legitima, quam successione ordinaria, ad Scholæ huius, quam vt pupillam oculi vnice diligo, animaq; mea de teneræ iuuentutis huius Scholasticæ animabus semper pendet, gubernationem vocor: etsi non eam inficias me multorum annorum vsu, & experientia edoctum, quam graue, laboriosum, & molestum, DEO tamen gratissimum, humanæ societati saluberrimum, et teneræ iuuentuti maxime necessarium, munus suscipiam, & quantum humeris onus imponam meis: tamen DEO vocanti obedire, Magistratui imperanti obtemperare, & patriæ meæ, quæ ipsa nobis charior vita esse debet, inseruire, eamq; conditionem, quam in alijs claris vrbibus aliquoties recusavi, accipere *ἐπὶ ὀνόματι τοῦ κυρίου* volui. Et licet clarissimis illis, & doctis, qui me in hac statione antecesserunt, viris, ac Præceptoribus Reuerendis piæ & sanctæ memoriæ doctrina & ingenio par esse nequeam, pietate certè, fide & diligentia nullo ero inferior, non viribus meis proprijs, quas exiguas & tenues esse sentio, sed auxilio diuino fretus. DEVS enim, qui Iacobo anxie & sollicitè secum deliberanti an locum mutare, & in Ægyptum descendere debeat, respondit: Ego sum fortissimus DEVS Patris tui, noli timere, sed descende in Ægyptum, ego descendam tecum illuc, hoc est, Ege ero caput, & defensor tuus: & qui fideli famulo & successori Mosis Iosua dixit: Sicut fui cum Mose, ita ero tecum, non dimittam, non derelinquam te, confortare & esto robustus valde, vt custodias, & facias omnem legem, noli metuere, & noli timere,

quo.

D E S C H O L I S .

quoniam tecum est **DOMINVS DEVS TVVS**.  
 Et qui Saulo vocato ad munus regium cor immutauit: Ille  
 etiam in hac literaria militia ( in qua nostram aciem teneros  
 nimirum scholasticorum animos, precioso **CHRISTI**  
 sanguine ablutos, et redemptos, quoque instruimus, & ex  
 Catechismo, quomodo contra **DEI**, & Ecclesiae abdicatum  
 hostem Diabolum pugnare fortiter debeat, armamus ) per  
 & propter Filium dilectum Dominum nostrum **IESVM**  
**CHRISTVM** vt semper fuit, ita & posthac mecum e-  
 rit, ille Spiritu sapientiae, intellectus, fortitudinis, scientiae &  
 pietatis, me implebit, ille cor meum ita gubernabit, vt labo-  
 res mei seruiant **DEO**, placeant **CHRISTO**, profint  
 Ecclesiae, sint salubres Scholae, & vtilis vniuersae Reipubli-  
 cae. Non enim sinet inanes esse labores nostros Dominus,  
**DEVS** & Pater noster fidelis, qui iugum humeris nostris  
 impositum nobiscum vnâ portans adeo tollerabile reddit,  
 vt sufferre possimus. Et quando maius onus, aut munus al-  
 tius largitur, vnâ etiam robur & vires illi sufficientes be-  
 nigne ac fortiter impertit. Etenim vocationis opera guber-  
 nat **DEVS**, & quem ipse vocat, eundem donis Spiritus  
 sui ornat, & qui ijs donis ex mandato **DEI** utitur, feliciter  
 omnia peragit.

Ad praesentem autem actum, & hodiernum in Schola  
 conuentum, quo nihil in hac mortali vita est pulchrius, quod  
 attinet, nouimus cum reuerendo ministerio, & prudentissi-  
 mo Senatu vere adesse praesentem ipsum **DEVM** qui Aa-  
 ronem Pharaonis **DEVM** nominat, & Magistratus Deos ap-  
 pellat. Ad nostros custodes totiusque Scholae, & iuuentutis  
 scholasticae vigiles, qui faciem Patris coelestis semper vident,  
 adsunt & reliqui ipsi **DEO** astantes, & ministrantes Princi-  
 pes coelestes, Angeli. Solatiu praebet haec sanctissima praes-

O R A T I O

fentia nobis in omnibus ærumnis, & laboribus nostris scho-  
lasticis, contra Diabolorum furorem, & improbi Mundi ra-  
biem firmissimum. Sunt etiam hi conuentus imago vitæ  
æternæ, in qua

*Doctor erit Genitus Genitoris corde, sacra-*

*Numine presente, & preside patre D E O.*

*Pendebunt iusti CHRISTI narrantis ab ore*

*Atq; hic ipsorum vita perennis erit.*

Testamur etiam nos esse vera membra illius cætus, qui  
precioso sanguine I E S V C H R I S T I redemptus D E-  
V M verè inuocat, & celebrat: ideò vota, precesq; nostras,  
vt eò sint efficaciores, cum precibus Ecclesiæ coniungimus,  
earumq; vim & effectum re ipsa experimur.

Cathedram apertam, in eaq; libros duos cum Scholæ  
matricula, ac Sceptro scholastico impositos inueni, & ex re-  
uerendo viro domino Superintendente audiui commenda-  
ri mihi munus docendi præcipua Christianæ Religionis ca-  
pita in Catechismo compræhensa, artes liberales & interpre-  
tandi vtriusq; & latinæ & græcæ linguæ autores optimos, &  
curam animaduertendi ne erroneas, aut fuci in hunc nostrum  
cætum irrepant, ideo scholasticorum huc venientium post  
diligentem vitæ, morum & studiorum inquisitionem, & sti-  
pulata manu debitam obedientiam promittentium nomina  
inscribenda, ipsosq; in huius sancti & pulcherrimi cætus nu-  
merum recipiendos esse: Ad quæ omnia mihi etiam diligens  
& assidua totius Scholæ demandatur inspectio, cum gregem  
suum de pastorum manibus ipse D E V S velit requirere,  
atq; gubernatio: & sceptro virgeo puniendi rebelles & con-  
tumaces, qui si verbis admoniti, & virgis castigati resipiscere  
& ad frugem redire nolunt, relegationis pœna affecti, licito-  
ribus,



DE SCHOLIS.

ribus, & ministris ciuitatis tradantur, vt isti ἀλασσοεις, corruptelæ, & pestes bonorum adolescentum e medio tollantur, & cum charissima nostra patria etiam Schola purgetur.

De mea igitur fide, pietate, & diligentia uiri Reuerendi, & P. C. prudentissimi dubitare minime debetis. Spero etiam me, sicut hactenus auxilio diuino factum est, habiturum Collegas ac fratres, παρασάτας καὶ συνεργούς fideles, & scholasticos morigeros, contra disciplinæ verò turbatores vestrum ô P. C. auxilium imploro. Sed planè spero hunc pulcherrimum cætum scholasticorum, quos Spiritus sanctus filios Prophetarum: Liber Tobræ Filios sanctorum: & ipsa Dei sapientia suas dilicias nominat, quoq; illa, quæ sui sunt muneris facturum. Id fiet si pietati, & timori DEI studebunt: Parentes & Præceptores, mentium patres, in omni obedientia, reuerentia, & humilitate honorabunt: literas & studia in labore & patientia amabunt: & modestiam in sermone, incessu, gestu, vultu, & vestitu, totius vitæ comitem & magistram, adhibebunt: Ita cum gaudio & honore in viros aliquando euadent tales, quales Ecclesia DEI requirit, patria flagitat, parentes expectant, Præceptores exoptant, & boni omnes expetunt.

IESU CHRISTE DEI æterni Patris, & Mariæ virginis Fili, qui sedes ad dexteram æterni Patris, & das dona his terris, te vno ore omnes inuocamus, cætus docentium & discipulorum, & hanc quoq; Scholam, quæ verè est seminarium regni tui, sub vmbra manuum & alarum tuarum clementer protege, & conserua, & effice vt tibi plantemus cœlos, & ita dirige huius nostræ fidei commendatæ iuuentutis studia, vt in hac vita viris pijs & eruditis Ecclesia, & ciuibus bonis ac honestis Resp. non destituatur. Misereare nostri Domine, fortitudo mea, robur, & refugium meum, te enim

L E G E S

te enim expectamus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis, vt in hac & futura vita vasa misericordiae diuinæ simus & maneamus, Amen.

*Seu vivo, moriorue, tuus sum* CHRISTE REDEMPTOR  
*Tempus in aeternum sum maneoq; tuus.* (PTOR,

F I N I S.

Θεῶ δ' ὄξα.

L E G E S S C H O L A S T I C A E.

**S** *I cupis optatam studiorum attingere metam  
Unica fac Domini sit tibi cura timor.  
Namq; hunc Principium, & finem decet esse laborum  
Nostrorum, vt rectè perficiatur opus. (rum  
Ergo cum dulci sunt membra resecta quiete,  
Grata Deo casta carmina mente dabis.  
Nempe quòd his ipsis felix sis natus in oris,  
Per quas ipsius dogmata pura sonant.  
In quibus & vitam licet excoluisse per artes,  
Doctorum vultu colloquioq; frui.  
Quodq; volente Deo tibi custos angelus adsit,  
Hic te caelesti qui tueatur ope.  
Pro cunctis toto dices huic pectore grates,  
Qua benefacta Dei nemo referre potest.*

*Hac*

SCHOLASTICA

Hæc tibi iam postquam Domini clementia nota est,  
 Cura sit illius iussa verenda sequi.  
 Hunc solum venerare Deum, & reuerenter adora,  
 Eius habe verbo, pollicitisq; fidem.  
 Sermo Dei verax, credentes curat amatq;  
 Et gaudet fidei debitor esse tua.  
 Hinc iusto charos cultu dignare parentes,  
 Hac ratione diu vita superstes erit.  
 Nec minus & patres animi venerare, Magistros,  
 Et capiti cano debitus adsit honos.  
 Sit procul à placidis demens discordia Musis,  
 Mens rixis gaudens plurima damna mouet.  
 Non te preponas aliis, nec despice quenquam,  
 Mitia amat, punit pectora fasta Deus.  
 Hoc quoq; Narcissi, quem dicunt esse poëtæ  
 Conuersum in florem, fabula docta monet.  
 Illum Cephiso cum Liriope ederet, etas  
 An nati, ut noscat, longa futura pater:  
 Consulit is vatem, si se non nouerit, ipsum  
 Respondet, longè viuere fata sinent.  
 Hic annis, & in his damnosa superbia creuit  
 Contempsit Nymphas æquora quotquot habent.  
 Præ reliquis eius summo flagrauit amore  
 Echo, sed frustra nec redamata fuit. F Cer-

L E G E S

Cerneret hac cum se spretam iuueni esse superbo,  
 Posse nec hoc aliqua conditione frui:  
 Tunc tenues abiit contempta corpus in auras  
 Echus, hinc prebet iam sine mente sonum.  
 Lusit sic alias undis, aut montibus ortas,  
 Sed tumidis tandem pœna seuera venit.  
 Haurit tum fontem proprios in flumine cernit  
 Vultus, atq; sui captus amore perit.  
 Inueniant pulchro croceum pro corpore florem,  
 Soluere qui inueniunt debita iura neci.  
 Si formose puer vis dignus alumnus haberi  
 Musis, hac animo saepe reuolue tuo.  
 Ingenuas frustra ne ponas tempus in artes,  
 Ne fiant, moneo, corda superba, caue.  
 Nam nil tam sanctis, ut vana superbia, Musis  
 Quæ perdit iuuenes plurimum obesse solet.  
 Nam quæ quisq; putat se percepisse, tumescens  
 Illa velut doctus discere nemo cupit.  
 Hinc mater plerumq; scientia vana, malorum  
 Nascitur, ista sibi cuncta licere putat.  
 Hinc artes, hominum vita, hinc Ecclesia Christi,  
 Simplicitatis amans maxima damna capit.  
 Et caue, nequemquam contempnas pectore vasto,  
 Fortuna donis sit licet ipse minor.

Flo-

SCHOLASTICAE

Florem animo perpende tuo, & quae continet in se  
 Omnia fac reputes, nam bona summa docet,  
 Rore madet caeli Narcissus, is irrigit herbam  
 Stillando, & florem reddit odore bonum.  
 Hoc monet, eximiae doctrinae dona parente  
 Tantum à caelesti, non aliunde, dari.  
 Tota quibus redolet Respublica floribus, & qui  
 Cunctorum recreant pectora odore suo.  
 At flos Narcissi crescit cum praeterit aestas,  
 Plantaque in Autumni fine tenella viret.  
 Edoctis longo hac senibus res admonet usu,  
 Doctrinae solum munera magna dari.  
 Grata senectuti non paruo parta labore  
 Ornamenta haec sunt, hisce iuuenta caret.  
 His te coniungas usu, ac etate peritis,  
 Rectaque doctoris verba monentis ames.  
 Laudibus ornatus, sic conciliabis amicos,  
 Grataque apud cunctos fama futura tua est.  
 Luceat ex omni diuina modestia vita,  
 Ebrius inde procul Bacchus abesse solet.  
 Corporis atque animi vires mala crapula frangit,  
 Hac magis ingeniis nulla venena nocent.  
 Nil agito occultè. Cernit DEVS omnia vindex,  
 Omnia qui complet, quae loca mundus habet. Sin-

LEGES

Singula quid refero? pia mens, & grata, parentum  
 Cultus, & officij munera scire sui:  
 Sobrius & victus, placidum cor, prompta voluntas,  
 Lingua modesta, pia simplicitatis amor,  
 Candor, in hoc auro res inter mortua pene,  
 Et casti mores, in scia vita doli:  
 Certa hæc Christicola, non sunt fallentia signa,  
 Ingeniumq; bonum & mitia corda notant.  
 Quid? moneam ut annis discas iuuenilibus artes?  
 Neglectis quibus hæc vita dolere solet.  
 Totius, ordo bonus, ratio stet certa diei,  
 Ac operas habeat, qualibet hora suas.  
 Utilis, & suavis res est mortalibus ordo,  
 Ordine quid totus pulchrius orbis habet?  
 Auroram summo Musæ amplectuntur amore,  
 Plus reliquo toto perficit illa die.  
 Surgito mane, stylum exerceto, quemq; sequaris  
 Unus, nec plures, optimus autor erit.  
 Absq; quibus nemo tuto dixisse, nec audet  
 Scribere fac discas prima elementa velim.  
 Hæc bene percipias pendeabis ab ore Magistri  
 Sedulus, ipsius singula dicta notes.  
 Sedulitate vigent Musæ, tibi lectio nulla  
 Spermenda est, Musæ sedulitate vigent. Doctri-

S C H O L A S T I C A E

*Doctrinae quamvis radix videatur amara,  
 Ipse tamen fructus dulcior esse solet.  
 Quas feret Autumnus, non cernit rusticus uvas,  
 Quiduè exculta dabit, nescit arator humus,  
 Dum tolerant in vere graues sub sole labores,  
 Atq; opus exercent sedulitate suum.  
 Optima sic tribuis Musis dum tempora, quidquid  
 Et placido perfers corde laboris inest:  
 Gloria, nomen, honos, nec laus tibi cernitur ulla,  
 Commoda quæ parui, magna laboris erunt.  
 Ergo floriferi dum sunt tibi tempora veris,  
 Et flos ætatis dum nouus ille tua est:  
 Assiduos tolerans virtutis amore labores,  
 Exerce vires, ingeniumq; tuum.  
 Optatos possis aliquando ut cernere fructus,  
 Prætereat nullum iam tibi tempus iners  
 Si tua vere bonum perceperit area semen,  
 Autumnus dulcis copia frugis erit.  
 Christe Dei Fili, nate ante exordia mundi,  
 Æterno æternus, de genitore Deus.  
 Christe, patris iussu qui certo tempore carnem,  
 Sumpsisti, à pura virgine natus homo.  
 Da precor hunc annum felicem, ut casta iuuentus  
 In studiis crescat cum pietate bonis. F 3 Do-*

GRATIARVM ACTIO

*Doctorem, ut doceant purè tua mystica, mentes,  
Et sint concordēs pectore & ore rege.  
Adsis principibus placida ut sint pacis alumni,  
Iusta velint semper, iustaq; semper ament.  
Et, peto, ne stolidi Christe obliuiscere vulgi,  
Officij faciat munera quisq; sui.  
Deniq; nos tandem ereptos ex carcere mundi,  
Laudes da æterna voce sonare tuas.*

Mich. Hemp. F.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM  
ac Dominum, Dominum CHRISTIANVM, Du-  
cem Saxonix, Sacri Romani Imperij Archimarschallum &  
Electorem: Landgrauium Thuringix, Marchionem  
Misnix, & Burggrauium Magdeburgensem,  
Dominum S. Clementis.

GRATIARVM ACTIO, ꝛ N-  
serta querela de Obitu Illustriss. Principis ac Domi-  
ni, Domini AVGVSTI, Electoris Saxonix, &c.  
Sanctæ & Illustriss. memoriæ, Scholæ Fri-  
bergensis Scripta

à

M. MICHAELE HEMPELO  
Fribergensi.

Auspice



AD ILLUSTRISSE ELECT. SAX.  
AUSPICE CHRISTO.

**S**axonia AVGVSTVS dux, illustrissimus ense,  
Paterq<sup>3</sup> verus patriæ,  
Quàm patriæ cura, studio quàm principe digno.  
Ecclesias nutriuerit,  
Atq<sup>3</sup> scholas, amplo sub cælo est undiq<sup>3</sup> notum,  
Academia inclytæ utraq<sup>3</sup>  
Id quoq<sup>3</sup> testatur, tiliæ cui nomina pingues  
Dedere clara: Et quæ audiit  
Postremum HELIAM, diuina voce docentem,  
Et ELISÆVM, suauiter  
In totam Europam Philomelæ more canentem  
Prospexit illis sumptibus  
Magnificis, aluit nuuenum imerumq<sup>3</sup> piorum  
Magnum: Scholæq<sup>3</sup> tres, quibus  
Præbuit, illustres, victum cum vestibus, inde  
Venere plurimi viri  
Insignes pietate, viri doctissimi, in omni  
Quorum usus est Germania,  
Inq<sup>3</sup> peregrinis terris cum laude salubris,  
Illius hinc clementia  
Gratia debetur, Mundi dum Machina stabit.  
Illustria testimonia

Audite

GRATIARVM ACTIO

*Audiet ante DEI, venientem in nubibus altis,  
 Natum, beata cumq; eo  
 Intrabit latus caelestis regna Parentes,  
 Qui gloriose eum, suum,  
 Excipiens, premet ad pectus, dans oscula, blandus  
 Dulci parens ut filio,  
 Thesaurosq; poli tribuet, summiq; locabit  
 In parte caeli, comparem  
 Principibus summis, hac in tellure fuerunt,  
 Et qui Deo charissimi,  
 Spiritus interea gremio, manibusq; tenetur  
 CHRISTI ipsius, qui hunc recreat  
 Alloquiq; suo miscet tam suauia verba,  
 Ne mille Mundi machinas  
 Acciperet, carnis cuperetq; in vincla redire,  
 Quae plena luctus, & mali.  
 In terra dormit corpus, placideq; qui escit  
 Totum ministro principe  
 Angelico, letans ipsi qui assidet ad usq;  
 Diem supremum, cum feret  
 Iunctum animae id niue candidius, velocius aura,  
 In nubibus CHRISTO obuium.  
 Iudicij hic assessor erit, iustamq; probabit  
 AVGVSTVS hic sententiam*

Chri-

AD ILLUSTRISS. ELECT. SAX.

CHRISTI, cum socijs Satanam damnauit ad-

Nigrum gehenne: Vulpibus (ignem

Adiunctos caprisq; lupos qui vinea, ouiliq;

Inferre damna sunt DEI

Conati, vita quos non perpeſsus in iſta,

Quorum fuitq; maximus

Oſor, uti verus vera pietatis amator,

Damnabit una ad Tartarum.

O AVGVSTE DEO nimium dilecte, malisq;

Erepte, qua Mundo imminent

Ante diem Domini, ne tu mala tanta videres.

Mortalitatem iam exuens

Immortalis eris poſthac in ſecula cuncta,

Unam videns Eſſentiam

Diuinam tribus in personis, Iuſticiamq;

Pendere noſtram de Fide

In CHRISTVM ſola: Verum & cum ſanguine

Sub pane detur, & mero (corpus

Quod cœna in Domini, nunc cernis: Scripta probari

Audis LVTHERI, qua breui

Tempore ſedulitate pia legiſſe iuuabat

Te cuncta: Et illis addere

VVELLERI ſacra ſcripta tui, qua vertere linguam

Sum iuſſus in noſtram tuo

G

Plu-

GRATIARVM ACTIO

Plurima mandato, atq; tuis ea sumptibus esse  
 Excusa, & ire in publicum,  
 Omnibus ut fierent hæc cognita scripta volebas,  
 A conscientijs pijs  
 Expectata diu, Satanas malè vexat acerbis  
 Quas cogitationibus,  
 Ignitisq; petit telis: post Biblia sacra,  
 Solatia hinc ut hauriant,  
 Et pomambra habeant, quòd recreet arida corda,  
 Valde anxiosq; spiritus.  
 Det DEVS huic operi successum, Saxonie Dux  
 Et CHRISTIANVS prosperum.  
 Cur misero DEVS Heròem tantum eripis orbi?  
 Sacri columnamq; excutis  
 Imperij? terris decus aufers? Præsidioq;  
 Ecclesiam priuas suo?  
 Et nutritorem cur non sinis esse scholarum  
 Hic longius superstitem?  
 Non hac sepe hominum fuit hæc generatio digna,  
 Ingratitudo & maxima  
 Peruersi Mundi, bona qua præsentia nescit,  
 Erepta post desiderat.  
 Nunc opus est lachrymis contrito è corde profectis  
 Agente poenitentiam, Vitam

AD ILLUSTRIS. ELECT. SAX.

Vitam emendemus, fugiamus crimina, CHRISTO

Fidamus, ipsiusq<sub>3</sub> opem  
Imploremus, ut hoc postremo tempore mundi

Dignetur adesse, sicuti  
Promisit nobis: faciatq<sub>3</sub> insistere natum  
Vestigiis patris pij.

Sed facit hoc gemitu multo, & prece supplice motus,  
Suspiriisq<sub>3</sub> ardentibus.

Nam veluti summi Regis Davidis in Aula  
Nihil fuit præclarus,

Quàm pater illustris, vir scilicet ille secundum  
Pectus D E I, qui plurima

Grata D E O fecit, cuiusq<sub>3</sub> est ore locutus  
Flatus sacer PSALTERIVM,

Qui moriturus ait Nato: Charissime fili  
Legem D E I custodias,

Sit Dominiq<sub>3</sub> timor semper tibi maxima cura,  
D E I domusq<sub>3</sub> altissimi,

Sic te amplectetur charum sapientia natum,  
Et Spiritus prudentia,

Vt regere imperio magnum hunc, populumq<sub>3</sub> poten-  
Possis diu, & feliciter, (tem

Confortare animo, nunc esto pectore firmo,  
Tibi præsto erit, mecum velut G 2 Sem-

GRATIARVM ACTIO

Semper erat **DOMINVS**, cui nos confidimus, &  
 Nos curat, atq; diligit. (qui  
 Ille tibi tribuet solium sublimius illo,  
 Quo sedimus nos, aureo.  
 Excipiens vocem **SALOMON** avida aure pa-  
 Ita est repletus Spiritu (rentis,  
 Sacrato, ut fuerit non hoc sapientior alter,  
 Excepto Adamo, & Filio  
 Virginis atq; **DEI**, cuius monumenta reliquit  
 Rei ardua **PROVERBIA**.  
 Sic patre **AVGVSTO** nihil hac preclarus etas  
 Et **CHRISTIANO** filio,  
 Morigero, egregio, docto, sapiente, benigno,  
 Forti, pio, maioribus  
 Ornamento habuit: Cure huic Ecclesia **CHRISTI**  
 Liberq; sacri Spiritus, (est,  
 Dogmate cum puro: Patriæ pater ergo vocandus  
 Iurè & Scholarum nunc erit.  
 Sapius & quamvis id adhuc vivente parente  
 Ostendit, hoc magis tamen  
 Regia iam verè, nunc munificentia profert,  
 Ornat novis qua festibus  
 Doctores verbi, ludi miserosq; ministros,  
 Centumq; bis Scholasticos. Hoc

AD ILLVSTRISS. ELECT. SAX.  
Hoc pietatis opus, chari in genitoris honorem,  
Nos predicamus debitis  
Et quæ ventura est celebrabit laudibus ætas  
Et CHRISTIANO Principi  
Saxoniæ, illustri Ensifero, Schola tota parenti  
Posthac suo charissimo,  
Pectore de toto grates agit, atq; precatur  
Felicitate ut DAVIDEM  
Æquet, sitq; eius Davide sapientia compar,  
Sit fortitudine IOSAPHAT.  
Magno EZCHIÆ similis pietate diesq;  
Cernat senis MATVSALAE.  
Coniuge pro illustri facimus quoq; vota, precesq;  
Illustribus pro liberis  
Principis Ensiferi, donecq; hac vescimur aura  
Nullus dies vacabit his  
Sollicitis precibus. Nunc nos submittimus eius  
Clementiæ, & Scholasticus  
Hic totus cætus cum præceptoribus orat,  
Carmen boni hoc ut consulat.

Die 15. Martij 1586.

G 3 M. Micha-

SERIES DOCTORVM  
M. MICHAELIS HEMPELI  
FRIBERGENSIS.

AD

D. ABELVM STRASBURGVM  
I. V. D. amplissimi SENATVS HALLENSIS  
suffragio vocatum & confirmatum inclytæ illius Reip.  
SYNDICVM fideliss. V. clariss.  
& Ciuem S. chariss.

GRATVLATIO.

*In qua precipuorum, ab ADAMO vsq<sup>3</sup> ad D.  
MARTINVM LVTHERVVM,  
Ecclesie doctor. brevis recitatur series.*

A VSPICE CHRISTO.

**E** St veluti Castrorum acies Ecclesia sancta,  
Stat quæ ordinata ad prælium.  
Miles enim quando decessit strenuus, illi  
Succedit est qui proximus.  
In statione sua manet hic vigil, estq<sup>3</sup> fidelis,  
Vitæ tenet dum Spiritum.  
Sic successor erat SETHVS genitoris Adami,  
Ipsum PARENS audit NOAE.  
Viuus in æternum vitam translatus ENOCHVS  
Est patribus spectantibus.  
THARIADES vidit NOAM, atq<sup>3</sup> instruxit ISA-  
Solum canopæum IACOB, (CVM:  
Et



ECCLESIAE

Et IOSEPH docuit. Data post in monte Sinai  
 Autoritate maxima  
 Lex est per MOSEN, promissas IOSVA terras  
 Ingressus est: & IVDICES  
 Plurima fecerunt miracula. PSALMOGRAPHVM  
 Vnixit Propheta SAMVEL (q̄  
 Nec vir DAVIDIS NATO sapientior vllus  
 Fuit, DEO hic Templum extruit.  
 Prôh deus alme, mali quid non perpeffus ELIAS,  
 Curru igneo donec polum  
 Ingressus mediꝝ circum mala tempora Mundi?  
 Repletus eius Spiritu  
 SAPHATIDES, turmis cœlestibus vndiq; cinctus,  
 Miracula fecit mortuus.  
 Hunc sequitur SECVIT QVEM ex cedro ferra MA  
 NASSÆ.  
 Eum excipit HELCIA SATVS.  
 Incolumis DANIEL euadit ab ore Leonum,  
 Mundi annotatq; tempora.  
 Ordine post vatum sequitur sacra turba piorum,  
 Exculta & ætas literis.  
 Nam tunc translata ex Hebræo BIBLIA fonte,  
 Fuere Græcis Gentibus.  
 Tandem etiam venit præ cunctis MAXIMVS ILLE,  
 Aqua sacrata Iordanis  
 Qui tingens CHRISTVM, digitis monstravit eundem  
 AGNUM DEI, atq; SPIRITVM  
 Ipsi incumbentem SANCTVM conspexit, & vnâ  
 PATRIS sonantem de Polo  
 Audiit hanc vocem cum circumstante Caterua.  
 Cœli corusco in lumine:

FILII

S E R I E S D O C T O R V M

FILIVS HIC MEVS EST, est vnicus ILLE me-  
um Cor,

Solus voluntatem meam

Nouit hic, H V N C omnes volo vos audire docentem,

Desiderant regni mei

Qui fieri hæredes: Qui verò audire recusant

Meum docentem FILIVM,

Perdití erunt omnes. Nam spreto fonte salutis

Saluus fieri nemo potest.

Et mox ingreditur data munera CHRISTVS, opusq;

Redemptionis perficit

Pignore Relicto post se flagrantis amoris,

Suo cruore, & corpore.

Inq; polum ascendens totum iubet ire per orbem

Suos ministros: Omnibus

Vocem Euangelij, qua culpa remittitur omnis,

Vult prædicari Gentibus.

Addi vult animæ Baptisma salubre lauacrum,

Vsq; ad diem nouissimum.

Discipuli D O M I N I data iussa sequuntur ouantes,

Suoq; testimonium,

Quam docuere, sacra Doctrinæ sanguine præbent,

Quòd certa sit, quod vera sit.

Nec minus illorum vestigia sancta secuti,

Hos qui audiere MARTYRES.

Fruentum CHRISTI, oppressum grauitate Leonum,

IGNATIVS: SENE Xq; qui

In flamma emicuit viuus purissimum vt aurum,

Confessus ense mortuus.

Huius Discipulus perijt quoq; morte Cruenta,

Cui S A N C T A P A X nomen dedit.

Defendit

ECCLESIAE.

Defendit CHRISTI, celsa Carthagine natus,  
TERTULLIANVS gloriam.  
Percussus gladio est CYPRIANVS in Affrica & illa  
In persecutione res  
Mira est facta, pijs quæ tunc solatia certa  
Vitæ beatæ præbuit,  
Pulsus in exilium CHEREMON cum coniuge, turba  
Cum CHRISTIANI nominis,  
Ambo senes cum non ambo procedere possent,  
Spectante multitudine  
En subito ex oculis sublato excipit ambos  
Clarus polus: præsentia  
Ut manifesta DEI fieret, qua semper adesse  
Solet suis. LACTANTIVS  
Doctus, & EVSEBIVS florent ætate IUVVENCII,  
Ecclesiam & iuuant. suam  
Fortis ATHANASIVS, quo vix afflictior alter,  
Confessionem tradidit.  
Post gauisa viris doctis Ecclesia multis,  
Vixere qui vno seculo.  
Vir, cui CHRISTVS amor, CHRISTVS honor,  
omnia CHRISTVS,  
MARTINVS vnda fluminis  
Sacratî merfus, miracula plurima fecit.  
HILARIVM tunc audiit  
Thrax, Italus, Scytha, Persa, Indus, Geta, Dacia, Britanus,  
Thyle potens & vltima.  
AVRELIVS sanctos scripsit PRVDENTIVS  
HIERONYMV Sæp literis (Hymnos,  
Romanis mandat totum de fontibus ipsis  
LIBRVM SACRATI SPIRITVS.

H

Tunc

SERIES DOCTORVM

Tunc fuit AMBROSIVS, nec non quem Monica ma-  
 Pius diu vsa vocibus, (ter,  
 A Domino petijt, factus vas utile CHRISTO,  
 Et NAZIANZA patria  
 Quem genuit, socium sibi qui coniunxit Athenis  
 Ciuem suum, magnum virum  
 BASILVIM cum fratre. EPIPHANIVS in Sala-  
 Cypri vrbe tunc miraculis (mina,  
 Claret, & excellens scriptis, linguaq; IOHANNES  
 Ab ORE dictus AVR EO,  
 Post est Doctorum penuria facta virorum,  
 Gregem fuerunt attamen  
 Qui pauere DEI, fuit & quis gloria CHRISTI  
 Curæ: CYRILLVS, post eum  
 Interuallo aliquo FVLGENTIVS: historiamq;  
 Ecclesiasticam, tribus  
 Ex libris scriptam congesit CASSIODORVS  
 Gestasq; res Apostolis,  
 Quas retulit Lucas, in carmine cantat ARATOR,  
 CHRISTI celebrauit crucem  
 Qui FORTVNATVS felici à carmine dictus,  
 Verbum DEI tunc Anglia  
 Voce COLVMBANI prolatum, & GALLIA cepit.  
 Conuersa CHRISTI est ad fidem  
 GREGORIO MAGNO Doctore Britania veram,  
 Scientia clarus fuit  
 ISIDORVS: & in lingua Græca, atq; Latina  
 Venerabilis, BEDA Presbyter.  
 GENTE BONIFACIVS, docuit quam dogma sa-  
 cratum,  
 A FRISIORVM occisus est.

Secula

Secula ab hoc aliquot multi pietate verendi,  
 Grauesq; doctrina viri,  
 Et CHRISTVM verè qui dilexere fuerunt:  
 Sriptum est parum illo tempore.  
 Mellifluus donec venit BERNHARDVS, HVGOC<sup>q</sup>,  
 PETRVSq; de LOMBARDIA.  
 Vnà vixerunt ALBERTVS MAGNVS, AQVI-  
 THOMAS, vocatus Anglicus, (NAS  
 Et BONAVENTURA, scriptor Seraphicus olim.  
 Qui Christianus factus est  
 Stirpe ex Iudæa: scriptis LYRA Biblia tota  
 Illustrat utilissimis.  
 Post hunc TAVLERVS, repletus Flamine sancto  
 Vidit DEVS quòd promptior  
 Sit dare, quæ petimus chari per nomen IESV  
 Humana quàm corda appetunt.  
 Nec te IOHANNES, Martyr memorande filebo,  
 HVS, cum pio IERONYMO  
 Pragenfi socio, Papa heu vos perfidus igni  
 Cremauit: at vos Spiritum  
 Vestrum animo infracto CHRISTO mandastis, vt ipsi  
 Nato DEI, atq; virginis,  
 Qui genus humanum preciosa morte redemit,  
 Animarum & est Episcopus.  
 Vt prædixistis CYGNVS Germaniæ in oras  
 Peruenit ALBVS, omnia  
 Is loca repleuit diuina voce furores  
 Contra Papæ seruatus est.  
 Hunc sancto mitis iuuit PHILOMELA labore:  
 Ecclesias ambo, & Scholas

S E R I E S D O C T O R V M

Instruxere pias. His addidit ergo Poetas  
Doctos DEVS, vates pios,  
HESSVM, STIGELIVM, & qui nil nisi carmine  
CHRISTVM  
Suo canit GEORGIVM  
FABRICIVM, atq; tuum reuerende PHILIPPE  
Modò & SIBERVM mortuum, (SABINVM  
Atq; viros alios, quos non est vltimus inter  
VVELLERVS, eius indicant  
Ut libri dulces, qui dant solamen in omni  
Tentatione maximum.  
Immensa bonitate DEI nunc Biblia tota  
Gaudet loqui Germanicè.  
Lux clara in Mundi postremis orta tenebris,  
Contempto ab oris Angulo.  
Illius fulgor terras penetrauit in omnes,  
Apostolorum vt tempore.  
ASCANE Gens Germana sacro lætare parente  
Te nulla iam felicior  
Gens est, permaneas custos cœlestis vt ignis,  
Mundi stat hæc dum machina  
OMNIPOTENS faxit: tecum sit FILIVS eius  
In vltima illa vespera,  
Nec sinat extingui lucem, mittatq; fideles  
Operarios messem in suam,  
Alarumq; Scholas eius tegat vmbra, quibus non  
Potest carere Ecclesia.  
Illud enim vt magni fecit primordio ab orbis,  
Vt diximus nunc ordine,  
Sic nunc præstat idem iuxta promissa, parentis  
Sui sedens ad dexteram.

Datq;

E C C L E S I A E

Datq; Magistratus prudentes, atq; salubres,  
 Defendit & Respublicas,  
 Atq; viris illas ornat doctisq; pijsq;  
 Vnoq; defuncto alterum  
 Suppeditat, vocat, ire iubet, bene promouet, ipse  
 Adest, tuetur, adiuuat.  
 Sic quoq; non dubita, clarissime ABELE vocatus  
 DOERFELDIO: viro pio,  
 Integro, docto, vigili, Iurisq; perito  
 Exercitato, pauperem  
 Qui iuuat, cuius viduae quoq; ianua aperta  
 Semper fuit, quiq; est suo  
 Munere perfunctus cura, studioq; fideli  
 Vitae supremum ad halitum:  
 Succedis: morem CHRISTO gere ABEL E vocanti.  
 In omnibus laboribus,  
 In curisq; tuis tibi sit solamen, asylum,  
 Vocatio, qua TE DEVS,  
 Quos penes est, per eos, velut organa sancta vocauit,  
 Te dormiente, & inscio.  
 Te DEVS a pueris munus seruauit ad illud,  
 Tibi daturus altius.  
 Namq; tibi pietas, domini coniuncta timori,  
 Cordi fuit: promanat hinc  
 Cum probitate intellectus, sapientia, candor,  
 Caterua virtutum omnium.  
 Praesto tibi DEVS est, te amplis & honoribus auget:  
 Honore enim iusto tuos  
 Affecisse iuuat, qui te genuere parentes.  
 Tuq; es DEO curae, quia

S E R I E S D O C T O R V M

Cura tibi Genitrix semper fuit, hanc quoq; canam  
 Iuuas adhuc, nutris foues.  
 Nam felix pietate tua peruenit ad annum  
 Ætatis octuagesimum.  
 Hoc tibi longæuum D E V S est pro munere vitam,  
 Bona & daturus cætera.  
 Et quia deserti fidus patronus Egeni  
 Diu fuisti Lipliæ:  
 Vota, precesq; tuas D E V S audiet: & tibi in omni  
 Præsens necessitate erit.  
 Atq; tuis humeris, onus is perferre iuuabit,  
 Imponit illud qui tibi.  
 Ipse gubernabit pectus, linguamq; manusq;  
 Tuas sacrato Spiritu.  
 Gratulor ergo tibi charissime ciuis honores,  
 Qui dante contingunt D E O.  
 Officioq; tuo felicia cuncta, labori  
 Successum & opto prosperum.  
 Vnum A B E L E etiam rogo te, præq; omnibus vnum,  
 Curam geras Ecclesiæ,  
 Atq; Scholæ: illarumq; amplectere honore ministros,  
 Sic diliget te plus D E V S  
 Quàm mater, quondam quæ te gestauit in vlnis,  
 Tibiq; fixit oscula,  
 Præmia quanta tulit tantæ pietatis in Aula  
 Regis Zedechiæ, virum  
 Innocuum seruans, charam D O M I N O q; Prophetam,  
 E B E D M E L E C H V S æthiops:  
 Tempore quicq; famis Regis præfectus Achabi  
 Paut Prophetas A B D I A S:

Hæc

ETIO



ECCLESIAE

Hæc quoq; tu simili capies pro munere, vitæ  
Et post beatæ gaudia.

VADÉ AGE, ETHALLENSES CIVES,  
SANCTVMq; SENATVM  
ORNA, IVVA FELICITER.

Scrip. Fribergi Anno Domini  
M. D. LXXVIII. D. I. M.  
IXbris, qui dies omnibus  
sanctis destinatus est, autore  
Gregorio, anno Christi 835.

DEO GLORIA.



LIPSIÆ,

Imprimebat Iohannes Beyer, Anno 1587.

E. C. 1. 1. 1.

Har duos in laudibus copias pro tametsi vultu  
Episcopi bene gaudia  
V A D E A G E T H A L E N S I S C I V I S  
S A N C T Y M S E N A T U M  
O R N A M E N T I S

Scipio Fritzeus A. M. Johann  
M. D. L. X. X. I. I. I. B. I. M.  
IXbris, qui dies scriptas  
sacris delimitat  
Gregorio anno Christi 832

D E O G L O R I A



L I P S I A

Inprimetur in officina Johannis Beyer Anno 1587.



18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3  
001 600 079



TA → OL





AD AMPLISS. ET PRVDEN-  
tissimum inclytæ reipub. Fribergen-  
fis in Misnia Senatum


# ORATIO

M. MICHAELIS HEMPELI  
Fribergensis

DE SCHOLIS CHRISTIANIS:

*Additis tribus Carminib. quorum primum leges Scho-  
lasticas continet: alterum est ad Illustriss. Electorem  
Sax. &c. DOMINVM CHRISTIANVM, &c. Dominum  
nostrum clementiss: Gratiarum actio: tertium ad Cla-  
riss. V. Abelum Strasburgum Fribergensem, I. V. D.  
Syndicum Hallensem Gratulatio, in qua brevis præci-  
puor. ab Adamo usq; ad Martinum Lutherum,  
& Philippum Melanchthonem Ecclesie  
Doctorum series recitatur.*

Die XVI. Februarij M. D. LXXVII.



*Lipsiæ, Johannes Beyer imprimebat, Anno*

M. D. LXXVII.

ZZ.

